INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

D. PAULI DELSIGNORE

CAN. REG. LAT.

INSTITUTIONES
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

QUAS

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

ILLUSTRAVIT

D. VINCENTIUS TIZZANI

EJUSD. CONGR.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
HISTORIAE ECCL. DOCTOR DECURIALIS
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS

PERIODUS ALTERA

A CONSTANTINO MAGNO AD CAROLUM M.

PARS EXTERIOR

ROMÆ
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
ET FRANCISCI FILII
1838

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

PERIODUS ALTERA

A CONSTANTINO M. AD CAROLUM M.

PARS EXTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS PROPAGATIONE.

§. I.
Compositus per Constantinum orbis Romanus religione floret.

Maxentio ad Milvium, et Maximino Daza ad Adrianopolim devictis, ac caesis, penes Constantinum et Licinium summa reipublicae potestas fuit, et deletis tyrannici dominatus legibus, quod Romanae ditionis erat, id omne Christianis favit. Nec quidquam inter turbare potuit insolens animo atque ausu Licinius, quo sublato, cum omnia in unius Constantini imperium cederent, universus orbis, qui Imperatori parebat, Christianae paruit Religioni. Constantinus autem cum regnare coepit vel nullam religionem profitebatur, vel quam amplexurus esset haerebat. Verum impendente bello contra Maxen-

tium, saevissimum Urbis exagitatorem, meridie factum est, ut Crucis signum in Caelo, veluti auspicium victoriae, ei se obtulerit conspiciendum (1),

(1) Constantinus Constantii Chlori filius *civilibus artibus et literalibus studiis* educatus, teste Eutropio, factus Imperator, *anno imperii VII.* bellum contra Maxentium iniit, qui Maxentius in ponte *Milvio* iisdem, quas Constantino paraverat, insidiis miserissime periit. Ex tunc Constantini Religio, quae antea dubia et incerta videbatur, Christiana fuit. Viso enim in caelo crucis signo verba praeferenti τȣτω νικα *hac vince*, animo recreatus, spe bona adversus Maxentium ductus, hoste profligato, ut fuit in visione praemonitum, Christianus factus ex animo est. Haec *ex Eusebio in vita Constantini.*

Hujusmodi narratio etsi certissimo fundamento innixa, a nonnullis inter fabulas amandatur, denegatur inquam aut naturaliter explicatur visio habita, et in risum vertitur Constantini Religio, quam saltem dicunt eum secutum fuisse non ex animo, sed simulate et fraudolenter, ut temporum necessitati inserviret. Nos haec breviter evolvemus, ut Auditoribus nostris aliquid sine molestia concedamus pro studiis suis, quae si nimia ceteris videantur legendo abstineant. Exordiamur a visione Crucis, nec erit abs re universam narrationem ab Eusebio sumere, ut ejus verba intimius ab lectore perscrutentur, et examinentur. Eusebius igitur haec habet L. 1. de vita Constantini capp. xxvii. xxviii. xxix. xxx. pagg. 515. et seq. edit. Cantabrig. 1720. T. 1. « Solum vero Deum genitoris sui sibi esse colen« dum censuit (*Constantinus*). Hujus ergo opem implorare caepit « orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum praeberet, ac praesen« tibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Haec precanti ac sup« pliciter postulanti Imperatori admirabile quoddam signum a Deo « missum apparuit. Quod si quidem ab alio quopiam diceretur, haud « facile auditores fidem essent habituri. Verum cum ipse Victor Augu« stus nobis, qui hanc historiam scribimus longo post tempore, cum « videlicet in ejus notitiam et familiaritatem pervenimus id retulerit, « et sermonem sacramenti religione firmaverit, quis posthac fidem « huic narrationi adhibere dubitabit? Praesertim cum id quod subse« cutum est tempus, sermonis hujus veritatem testimonio suo con« firmaverit. Horis diei meridianis sole in occasum vergente, crucis « tropaeum in caelo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis ocu-

indeque Christus in somnis adstans idem signum

« lis se vidisse affirmavit cum hujusmodi inscriptione: *Hac vince.* « (τϛτω νίχα.) Eo viso, et seipsum et milites omnes qui ipsum « nescio quo iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi « fuerant, vehementer obstupefactos. Interim ipse ut ajebat addubi- « tare animo caepit, quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi « et diu multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum « vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo, quod in caelo « ostensum fuerat; praecepitque ut militari signo ad similitudinem « ejus quod in caelo vidisset fabricato, eo tanquam salutari praesidio « in praeliis uteretur. Ille primo statim diluculo surgens, arcanum « omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fa- « bris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, « jussitque ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent etc. » Ex quo testimonio unusquisque ea deducere valet ad veritatem facti comprobandam, nisi omnium scriptorum fidem vel imminuere vel partium studio abreptus denegare voluerit. Nec desunt qui narrationem Eusebii pro lubitu suo interpretantur. Inter quos eminet Jo. Albertus Fabricius Vol. VI. lib. V. Biblioth. Graec. p. 10. et seqq. Hamburgi 1714. Ipse enim visionem Constantini cum naturali halonis solaris phaenomeno confundit, et coronam lucidam potiusquam crucem vidisse Constantinum arbitratur. Quae omnia cum ab Schmidio ac Fabricio inventa primum sint, componi etiam nullo pacto possunt cum narratione Eusebii, qui nec fallere nec falli poterat a Constantino. Vid. Joannes Baptista Toderini in – *Dissertazione sopra la Costantiniana Apparizione della Croce* ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙ΄ΚΑ *difesa contro il Protestante Giannalberto Fabricio*: *ext. T. XIII.* diss. ital. ad Hist. Eccl. pert. cura Zaccariae collect. Romae 1795. pag. 114. Eusebii auctoritati suffragantur Inscriptiones publicae. Sequens inscriptio subjiciebatur statuae Constantini in celeberrimo Urbis loco (ut ap. Euseb. cit. c. XL. lib. 1. pag. 521.) positae, manu crucis signum tenenti « HOC . SALVTARI SIGNO . QVOD . VERAE . VIRTVTIS . ARGVMENTVM . EST . VESTRAM . VRBEM TYRANNICAE . DOMINATIONIS . IVGO . LIBERATAM . SERVAVI . SENATVI POPVLOQVE . ROMANO . IN . LIBERTATEM . ASSERTO . PRISTINVM . DECVS NOBILITATIS . SPLENDOREMQVE . RESTITVI » Eadem visio Crucis videtur etiam satis indigitata ex inscriptione altera, quae adhuc Romae in Arcu ipsi Constantino dicato legitur:

militibus praefigendum monuerit (2): illico Chri-

IMP . CAES . FL . CONSTANTINO . MAXIMO
P . F . AVGVSTO . S . P . Q . R
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM . DE . TYRANNO . QVAM . DE . OMNI . EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT

Sunt qui numismata afferunt, de quibus Cff. Claudius Molinetus Canonicus Regularis in dissertatione gallice scripta - Sur la vision que Constantin eut de la Croix de Notre Seigneur . . . confirmé par des médailles antiques etc. extat in ephemeribus Parisiensibus anni 1681. ephem. XI., et Tomo II. operis - Traité historique, et dogmatique sur les apparitions, les visions etc. par l'Abbé Lenglet Dufrèsnoy, Avignon 1751. pag. 376. Cf. nostra not. inf. et Alexander Visconti in diss. ital. - *Sopra la Cristianità di Costantino M. dimostrata coi monumenti*, *e con le Medaglie etc.* p. 209. T. VI. Operis - *Dissertazioni della Pontificia Accademia di Archeologia. Roma* 1835. Videatur cap. V. pag. 26. libri inscripti - Dissertatio de monogrammate Christi Domini, Dominici Georgii Romae 1738. Plura percupienti proponimus syntagma de historia visionis Constantini Magni, Matthaei Jacutii Mon. Bened. Romae 1755. cujus excerpta leguntur ap. Zaccariam Vol. XII. operis *Storia letteraria d'Italia etc. Modena* 1758. *pag.* 401. Ast animadvertat lector eruditus nos minime argumento ex numismatibus desumpto ad rei veritatem firmandam indigere, cum firmissima Eusebii auctoritate, universa innitatur narratio, cumque afferri possint numismata ante Constantinum cusa, monogramma Constantinianum praeferentia ut ex. gr. Ptolomaei Regis numisma, in quo (certe multo ante Constantinum) apparet monogramma seu digramma X P ita connexum ut simillimum sit illi à Du Cange, et Bandurio aliisque relato in numismatum collectionibus. Vid. Gretserus opp. T. I. col. 246. Ratisbonae 1734. Quoad religionem Constantini vid. infra, in nota (4).

(2) Ita apud Eusebium p. 516. ed. cit. Labaro et Militum Clypeis signum crucis apposuit Constantinus. Cf. Pelliccia T. 3. p. 1. de Christianae Ecclesiae . . . politia p. 243. et seqq. Bassani 1782. ubi et de monogrammatis forma, et de variis eruditorum sententiis. Quoad vocem autem Labari vidd. Du Fresne in Gloss. ad Script. Med. et Inf. Latin. voce *Labarum* col. 189. Paris. 1678. et Ignatius Rossius in Etymolog. Ægypt. v. *labarum* p. 97. Romae 1808.

stianae Religionis veritas ejus oculis inclaruit, tenebrae omnes illico dissipatae sunt. Et quamvis paullo ante obitum in quodam Nicomediae pago Baptismate sancto rite ablutus fuerit (3), nihil contra illius fidem innui videtur (4) quam praedicant Con-

(3) Eruitur auctoritate omni fide digna Eusebii in vita Constantini lib. IV. capp. LXI. LXII. pag. 660-663. Hinc falsum quod de Constantini baptismate Romae, et de anno V. Æ. 324; ipse enim an. Chr. 337. *ex hac vita migravit rure proximo Nicomediae*, *quod Achyronam vocabant*, *sub meridiem*: ita ap. Petavium T. II. de *Doctrina Temporum* p. 412. ad an. suprad. Cf. Euseb. loc. cit. Vidd. diss. apud Frickium in meletem. var. p. 249. et seqq. Wilhelmus Ernestus Tentzelius - Exercitationes selectae - Part. I. p. 302. et seqq. Part. II. p. 314. Lipsiae et Francofurti 1792.

(4) Simulate Christo nomen dedisse Constantinum Oiselius, aliique inter Protestantes, putant. Nonnulli etiam inter recentiores hoc idem sentiunt, quorum nomina referre inutile prorsus mihi videtur, quando ex veteribus sententias sumpserint, quod plerumque usuvenit, et quando eos recensere ad gloriam potius quam ad dedecus, ut merentur, cedat. Atque utinam ex tam frequenti eorum mentione errantium celebritati, errorisque dilatationi non praeberetur occasio; excideret enim illico error, nisi auctoris nomen saepe saepius prolatum, eidem saltem famam conciliaret. Ad eos refellendos satis erit perlegere quae Constantinus egit in bonum Ecclesiae. Pacem Christianis donavit, curavit ut latius haec Religio propagaretur, ut ab Arianorum labe purgaretur fides. Donatistarum furores repressit, favit Concilio Nicaeno, ut tutius quaestio de die celebrando Paschate compesceretur, Novatiani schismatis propagationem cohibuit, Ecclesiam codicibus ditavit omni vitio expurgatis, aliaque peregit, quae nisi ex animo Christianus factus fuisset, grassante adhuc ethnica superstitione, complere haudquaquam valuisset. Qui plura cupit, adeat binas dissertationes, quarum alteram videat apud Joannem Frickium - *Meletemata Varia.* - p. 215. Ulmae 1756., alteram perlegat in opusculo, cui titulus - Dissertatio de Constantino M. non ex rationibus Politicis Christiano - edit. ab M. Gottfrid. Christian. Lentnero, Lipsiae 1714. Ex anaglyptis quae in arcu Constantiniano repraesentantur nihil deduci potest adversus Constantini Religionem cum ad Trajani vitam ea pro maxima parte referenda sint.

stantinianae leges, obtusae persecutionis vires, parata Christianis pax et tranquillitas, insignitus atque auctus Clericorum ordo, Templa Deo Æterno ingenti opere constructa (5), census locuples Divino cultui addictus (6). Quibus tamen omnibus et nos quoque non satis probari credimus Constantinianum illud Edictum, quo Silvestro Pontifici, aliisque successoribus civilis potestas crederetur (7).

§. II.

Constantinum imitati sunt Imperatores in Religione amplificanda.

—

Post fatum Constantini, gestores imperii, Juliano excepto (8), optimae voluntatis indicia Religioni praebuerunt, nomenque Christianum longe lateque proferendum curarunt. Praetermissis modo Constantio, Valente, aliisque, quorum cetera in Ec-

(5) Leg. Eusebius de laudibus Constantini c. IX. pag. 740. edit. cit. et in lib. I. de vita Const. c. XLII. pag. 522. lib. II. c. XLV. XLVI. Quoad templa, quae in specie dicuntur a Constantino extructa, videatur Joannes Ciampinius in op. – De sacris aedificiis a Constantino M. constructis. – Romae 1693.

(6) Omnia quae Constantinum respiciunt videantur in opere Joannis Morini gallice scripto cui titulus – Histoire de la delivrance de l'Eglise Chretienne par l'Empereur Constantin. – A Paris 1630. Eruditi autem est ea seligere, quae satis in opere comprobantur.

(7) Optime Zaccaria voc. Donatio Constantini in Dict. Hist. Eccl. – Donatio Constantini, fictum pro Ecclesia Romana edictum, quo illa ad suam tuendam dignitatem non indiget. –

(8) Leg. §. V. Diss. I. Fratrum Ballerinior. ad sermones Sancti Zenonis Episc. Veron. pag. XLIV. et seq. Veronae 1739.

clesiam merita constans veteris doctrinae retinendae studium non aequavit, indubium omnino est, Jovinianum, Valentinianum I., Gratianum, Valentinianum II., Theodosium Magnum, ejusque filios, atque Arcadium, Religionem ac pietatem in exemplum coluisse. Hoc autem ad Gratiani, et Theodosii laudes illustrius est, quod alter sacrificiorum litationes abrogavit, aram et simulacrum Victoriae ab Augusto in Romana Curia statutum evertit, Supremi Pontificatus titulum dimisit, qui praecessorum vel auctoritati, vel fastui servire consueverat. Theodosius vero precibus Symmachi, aliorumque Ethnicorum, numquam adduci potuit, ut Aram, Statuamque Victoriae in Senatu restitueret, quinimo leges scivit de Idolorum templis ac Sacerdotiis labefactandis, quae vim suam sortita sunt.

§. III.

Magni Sanctorum labores in Religione propaganda.

—

Dum itaque per universam Romanorum ditionem Imperatoriae leges Religionem in tuto ponerent, eamdem viri in Ecclesia praestantes, prodigiorum virtute, doctrinae ac pietatis commendatione, externis gentibus suadebant. Principes in hisce habentur Martinus (9) Turonensis Episcopus, qui in-

(9) Vid. Sulpicius Severus in Vita B. Martini; ext. ad calcem sacr Histor. pag. 483. edit. cum notis varior. accurante Georgio Hornio Lugduni Batav. 1654.

gentem adeo multitudinem a gentili cultu ad Christum perduxit, ut Apostolus non immerito praedicaretur. Victricius Rothomagensis, qui fera hominum corda, suavissimo Christi jugo mansuefecit, Joannes Chrysostomus (10) qui, advocatis aliorum studiis ac laboribus, Phoenices crassis tenebris expedire nisus est, quod meliori quidem fato suscepit Symeon Stilites. Magna esset copia memorandi ceteros, qui Imperatorum studia secuti, licet in remotissimis saltem regionibus superstitionem radicitus evellere, inanesque caeremonias proscribere non potuerint; saeculo tamen quarto, et quinto, omnem iisdem dignitatem et postliminii spem in Romanorum provinciis auferre valuerunt.

§. IV.

Externa Christianae Religionis propagatio, ac primo in Oriente apud Persas.

—

At in latissimo Imperio veluti in angustia includebatur Religio, quae perinde exteriorem orbem, gentes, nationesque obscuras, amplexa est. Jam vero de gentibus, quae spectant ad orientem Solem optime novimus in Chaldaeam, et Persidem, Christi notitiam vel a primaeva Ecclesia pervenisse; saeculo autem IV. frequentia ac pietate floruisse Persarum Ecclesiam per Mellesium Susii Episcopum, et Jacobum Nisibenum certo constat. Hinc tam pro-

(10) Leg. ejus vita in edit. Maurina.

pero, felicique rerum progressu commotus Constantinus M. Saporem Secundum Persarum Regem, illius foedus expetentem, ditissimis muneribus ornavit, memorandaque epistola hortatus est, ut Christianis in Perside incolis pacem et otia facere vellet. Verum, Constantino vita functo, miserrima clade in nostros illic saevitum est, imo de iis actum fuisset, nisi Marathus Episcopus in Mesopotamia, doctrina et miraculis praeclarus, rem pro viribus restituere contendisset. Hic insidiatorum Principum fraudibus exploratis, apud Isdegerdem gratia maxime pollens, nihil non promovit, nihil non impetravit quod rei Christianae reparandae, augendaeque idoneum videretur. Quapropter instaurata Templa, quae Sapor labefactaverat, nova per totam Persidem structa, duae Synodi Ctesiphonte habitae, ad relevandam Ecclesiae disciplinam nuperae persecutionis vi et diuturnitate dilapsam, haec, aliaque haud pauca, hominis studia aperte commendant (11).

§. V.

Apud Armenos.

In Armenia Majori, quae trans Euphratem sita est, exiguis initiis res Christianorum ortae ampliorem progressum sortitae sunt quarto Saeculo, industria praesertim Gregorii Anacis filii, quem vete-

(11) Vid. Stephanus Evodius Assemanus in praef. generali ad acta MM. Orient. et Occid., et Biblioth. Orient. T. 4.

res Illuminatorem dixere. Sane in superstitionis tenebris fugandis adeo profecit, ut non solum plebi, sed et proceribus, ipsique Tiridati Regi Religionem nostram suscipiendam suaserit. Antistes deinde Armenorum adlectus a Leontio Episcopo Caesariensi in Cappadocia, totam provinciam Christo subjecit (12), quod inique ferens Maximinus Daza, Christianorum hostis infensissimus, Tiridatem praelio lacessere ausus est. Hinc etiam imperitante Theodosio II., cum Armeni vim Regis Persarum, qui Religionem nostram abhorrebat, praecavere vellent, Romanorum opem in copias Persarum efflagitarunt.

§. VI.

Apud Iberes, Lazas, Abasgas.

—

Iberes, qui a Colchide ad Albaniam eam partem obtinebant, quae Georgia nunc appellatur, aetate Constantini Magni, Christianae Fidei se addixerunt. Etenim cum barbarorum irruptio facta esset in loca quaedam Christianis frequentia, et mulierem Christo impense famulantem in servitutem egissent, haec ab ipsa Christi invocatione, uxoris, prolisque regiae valetudinem, a prodigiali autem valetu-

(12) Michael Le Quien Ord. Praed. in op. inscripto – Oriens Christianus in quatuor Patriarchatus digestus, quo exhibentur Ecclesiae, Patriarchae, caeterique Praesules totius Orientis – Parisiis 1740. col. 1371, et seqq. Vidd. Bollandiani ad diem 30. Sept. Tom. VIII. Sept. pag. 295-413. Antuerpiae 1762., ubi etiam adinvenitur Agathangeli hist. quoad Gregorium.

dine totius gentis Iberiae, Regis, ejusque familiae conversionem impetravit. Et quia Sacricolae desiderabantur, qui Religionis dogmata facilius explanarent, et insita superstitione Iberes exuerent, hac de causa Rex legatos misit ad Constantinum, tamque cumulate satisfactum est, ut saeculo sexto in tota Iberia divina Religio non modo auctoritatem, sed et tutissimum imperium teneret. Hujusce rei indicium erit quod Cabadi Persarum Regi gentilia instituta illuc invehere molienti, fortiter restitit Iberorum Moderator nomine Gurgenes, et turpissimum scelus perhorrescens sese in fidem Justini Imperatoris commisit. Iberorum exemplo finitimi populi regionis Lazicae (13) et Abasgiae excitati sunt: Lazii ad orientale litus ponti Euxini pertinebant, et Religionem nostram secuti sunt saeculo sexto praeeunte Tzatho, qui a Cabade rege Persarum Rex Lazorum datus, ad Justinum Imperatorem anno 522. se contulit, Baptismum postulans: Abasgorum vero gens, ab omni humanitate aliena, maritima Euxini ora usque ad Caucasum comprehendebatur, et sub Justiniano Imperatore Christo se dedidit (14).

(13) Quae Colchis, aut Mingrelia dicitur.

(14) Vid. sup. cit. Le Quien T. I. pag. 1333 et seqq.

§. VII.

Apud Auxumitas, et Homeritas. (15)

—

Frumentius (16) Ægyptius medio saeculo quarto in finitima Abyssinia, cujus incolis Auxuma Urbs

(15) « Hos autem Indos olim quidem Sabaeos ait esse dictos ab « urbe Saba, quae caput est totius gentis: nunc vero Homeritas vo- « cari ». Philostorgius in Hist. Eccl. lib. II. p. 481. edit. Cantabr. 1720. et p. 486. lib. III. n. 4. ait « Constantium Legatos misisse ad eos, « qui olim quidem Sabaei, nunc autem Homeritae vocantur. Est haec « gens eorum, qui ex Chettura nati sunt Abrahae. Regionem autem « quam incolunt Arabiam Magnam et Felicem a Graecis appellari « scribit, et ad extimum Oceanum pertingere ». Qui ab Theodoro Lectore dicuntur Immireni, videntur esse ab Philostorgio appellati Homeritae. Adnotandum autem, quod Theodori textus sit corrigendus cum verbis Philostorgii, dum Theodorus asserit, sub Anastasio, Christo nomen eos dedisse, Philostorgius vero sub Constantio. – Haec habet Theodorus Hist. Eccl. lib. 2. n. 58. p. 583. cit. edit. Cantabr. Immireni gens est Persis subjecta, ad extremos Noti fines habitans. Et ab initio quidem Judaei fuerunt, jam inde a regina Austri quae ad Salomonem olim venit. Postea Gentiles facti sunt. Anastasii vero temporibus Christianam Religionem amplexi sunt, et Episcopum acceperunt. – Vid. Assemanus in Bibl. Orient. T. 3. p. 2. p. DC. in diss. de Syris Nestorianis. Romae 1728. ubi auctor varias quoad Auxumitarum, et Homeritarum religionem, proponit eruditiones, praesertim relate ad vicissitudines Arianas eorum locorum.

(16) Ille idem, quem Meropius Philosophus genere Tyrius assumpsit, et navigio in Indorum regionem trajecit. Ast Romanos inter et Indos foedere abrupto, Indi Philosophum Meropium, eosque qui cum eo erant trucidarunt, exceptis duobus pueris, quorum alter Frumentius, qui Indorum Regi oblati, apud eum gratiam invenerunt. Alterum mensae suae pincernam constituit, Frumentium vero scriniorum curam gerere praecepit. Mortuo Rege, ab Regina exorati et pueri Regis et regni negotia suscepere. Frumentius, cui negotiorum pars major

princeps nomen Auximitarum fecerat, cum Religionem nostram ubique conciliasset, ea tandem Regem cum optimatibus initiavit, initiatus ipse postea ad infulas Auximitanas ab Athanasio Episcopo Alexandrino. Hoc indigne ferens Constantius, Arianorum fautor, per literas ad Principes Auximitarum Arianismum jubere non erubuit. Verum auctoritati suae diffidens Arianorum dolis innixus est, qui Abyssiniam ingressi, pontificalia munera obeuntes, Religionem Auximitarum abolere conabantur, eoque ventum est, ut saeculo sexto ineunte vel omnem cultum, vel etiam pristinam dignitatem Religio nostra ibidem amiserit. Anno vero 524. prostratas Christianorum res erexit Elesbaan (17) Auximitarum Rex, qui cum Christianam professionem vovisset, si Damianum Judaeum Homeritarum Regem debellare posset, fidem suam, eo sublato, e vestigio praestitit, veracem doctrinam in universa ditione restituit, et in Homeritidem, quam in suam potestatem redegerat, regia majestate homini Christiano delata, invexit. At iterum turbatum fuit a Dunaano Judaeo

erat quaesitis undequaque, inter romanos mercatores, Christianos, eos excitavit ad templa construenda; dein Ecclesia extructa, Regi negociis publicis restitutis, Frumentius Alexandriam profectus est. Athanasio Episcopo Christianorum gesta referens, ab eo Episcopus consecratus ad Indos denuo reversus Christianorum res dilatavit. Vidd. Socrates Hist. Eccl. Lib. I. Cap. XIX. pag. 49. et seq. edit. Cantabrig. Tom. II. et Sozomenus Hist. Eccl. Lib. II. Cap. XXIV. pag. 76. et seq. editionis ejusdem.

(17) Æthiops. Vid. cit. Assemanus Bibl. Orient. T. III. P. 2. p. DC.

qui post obitum Christiani regis, imperium occupavit, et hoc quoque ab Elesbaano devicto, et interfecto, caesis praeterea ad unum Judaeis, Abrahamus tyranni successor, et Christi assecla, collapsae nostrorum fortunae in tota Homeritide, adjutore praesertim Gregentio Tapharentium Episcopo, praesto fuit (18).

§. VIII.

Apud Saracenos.

Saraceni eam Arabiae partem incolentes, quae proxima est provinciis Palaestinae et Phoeniciae Libanensi, plerique religionem nostram admisere, auctore et duce Zocomo (19), qui principatum tenebat, et Mavia Regina, et Mose Monaco sanctimonia doctrinaque conspicuo, qui a Damascena sede ad Saracenorum pontificatum translatus est. Per ea tempora exemplum Obediani Principis, et labores alterius cujusdam Mosis monachi pientissimi, eundem fructum habuerunt apud Saracenos, ad desertum Pharan: eundem praeterea Eutymius monachus, et Archimandrita, sortitus est in alia Tribu, quae Palaestinae terrae proximior est. Haec de Saracenis, qui

(18) Vid. Assemanus loc. sup. cit.

(19) Vidd. Sozomenus Hist. Eccl. Lib. VI. cap. XXXVIII. pag. 277. edit. cit. Socrates Lib. IV. Cap. XXXVI. pag. 257. et seq. ubi de Saracenorum conversione satis disseritur. Theodoretus *Mabiam* pro *Mavia* ponit, Lib. IV. Cap. XXIII. Hist. Eccl. ubi de Mosis Monachi ordinatione loquitur. Tom. III. edit. Cantabrig.

prope sinum Arabicum, Palaestinam, et Phoeniciam Libanensem morabantur; nam qui ad Mesopotamiam, Chaldaeam, et mare Persicum pertinebant, Christiani facti sunt ab Episcopis Edessae et Seleuciae, conjunctis etiam Monachorum studiis. Ingentem vero Christianorum multitudinem conflavit inter Saracenos quinto saeculo Symeon Stylites, qui columnae insidens, clarissima fama ubique parta, innumeros neque ignobiles ad se pertrahebat (20); reduces divina Religione imbuti eandem continuo Gentibus suadebant. Denique saeculo sexto Alamundarus Princeps Hirtensium Saracenorum ab altero hujus nominis, Romanorum hoste distinguendus, ab Idolis defecit ad Christum, et, egregiis erga Chaludonense Concilium meritis commendatus, Severi discipulos fidei suae insidiantes pertentantes, apte simul et strenue ad silentium redegit.

§. IX.

Apud Sinenses, Tartaros etc. accedunt Nestorianorum studia.

—

Christianae Religionis doctrina propagata fuit apud Persas, Syros, Indos, extremosque Asiae populos; cujusce rei indicium est monumentum

(20) Vidd. Bollandiani ad diem 5. Jan. T. 1. p. 261. Venetiis 1734. ubi de tribus Symeonibus quibus nomen Stylita nonnulla proponuntur eruditis.

Syro-Sinicum (21) anno 1625. Siganfu in provincia Xemsi adinventum, variis postea animadversionibus ab eruditis (22), et a Kircherio inprimis contra austeriores criticos explanatum atque defensum (23). Saeculo octavo regiones illae, quarum incolae antiquitus Scytae, nuper Tartari appellati sunt, Christi notionem a Nestorianis etiam accepere: imo a Timotheo, qui Pontificatum gerebat inter Nestorianos, Tabrestani, Dailamitae, Hyrcaniae populi, et qui Hyrcaniam, Bactrianam, Margianam, Sogdianam (24) obtinebant, ad Religionem nostram anno 778. eruditi et perducti sunt (25).

(21) Assemanus in Bibl. Orient. T. III. p. DXXXVIII. haec habet -Id monimentum anno Christi 1625. repertum in oppido Sangxuen apud Siganfu Metropolim Provinciae Xensi, quum fundamenta cujusdam muri jacerentur gubernatoris ejus loci jussu in altero Lapide fideliter exceptum, et in Eremitorio Montis ejusdem Urbis Siganfu collocatum adhibitis doctis viris; primum Sinice expositum, deinde in lusitanicam linguam translatum; demum italice anno 1631. et latine anno 1636. redditum in publicam lucem prodiit. -Idem Assemanus testatur eo loci, consuluisse duo exemplaria ex Archetypo desumpta, impressum alterum ante an. 1631. alterum quod obtulit Innocentio XI. P. Couplot S. J. una cum aliis sinicis libris. Cf. citatus Assemanus.

(22) Idest a Kircherio, Mullero, Eusebio Renaudotio, aliisque.

(23) In opere - China Monumentis qua sacris qua profanis . . . illustrata - Amstelodami 1667. ubi pag. 12. extat Ectypon celeberrimi hujus monumenti Sinico Syriaci ex autographo descriptum an. 1664. a Matthaeo Sina oriundo ex Siganfu. Adi citatum opus eruditissimum quoad cetera.

(24) Cf. Assemanus in op. sup. cit. T. III. p. 2. p. 424.

(25) Vid. sup. cit. Assem. p. 425.

§. X.

Occidentalis Imperii conditio.

Initio saeculi quinti duabus partibus Romanorum imperium constabat, orientali nempe et occidentali, quae barbarorum incursionibus, insanique impetu, miserrime exagitabatur: feroces siquidem et bellicosi Germani (26), Gothi, Wandali (27) Alani, in florentissimas provincias Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam effrenate irrumpentes, pristinis eversis, nova regna extulerunt; postea vero Herulos et Turcilingas e Pannoniae Noricorumque finibus in Italiam impulit Odoacres, qui detruso Romulo Augustulo, Regis nomen usurpans, ipsum Occidentalis imperii nomen abrogavit. Cum ab anno 476. ad annum 493. in Italia dominatus esset, regno simul et luce orbatus est a Theodorico Ostrogothorum Rege: hic Gothicum Italiae regnum est auspicatus, quod sexaginta circiter elapsis annis Justinianus destruxit. Hoc extincto, anno videli-

(26) Rerum Germanicarum res vide apud auctores quos citat Marquardus Freherus in directorio in omnes fere quos superstites habemus chronologos Annalium Scriptores, et historicos potissimum Romani Germanicique imperii; ext. in capite T. I. Rerum Germanicarum: Argentorati 1717.

(27) Vandalicam et Gotthicam historiam Procopii Caesareensis vide apud Grotium in hist. Gotthor. Vandal. et Langobardorum p. 3. et seqq. p. 139. et seqq. Langobardorum autem gesta videsis in cit. op. Grotii pag. 743. edit. Amstel. 1655.

cet 568., Alboinus rex e Pannonia Langobardos in Italiam proripuit, delecta sede Ticini: quam Langobardorum dominationem post annum sextum et ducentesimum abolevit in Italia Carolus M. Occidentale imperium anno 800. restituens (28).

§. XI.

Apud Gallos.

Perturbatas diutius a Wandalis Gallias Svevi (29) et Alani anno 412. aggressi sunt, ibique deinceps constiterunt, quo tempore Burgundiones, qui genus suum a Romanis repetebant, Galliae partem ultra Rhenum oppresserunt. Galliam inde omnem tripliciter partiebantur Gothi, Romani, et Burgundiones; primi a Ligeri flumine ad Pyreneos montes, et ad eam partem Oceani, quae Hispaniam subluit, immorabantur: Tolosa urbe regni capite Romani, oriebantur a flumine Rheno, contenti a flumine Ligeri, Occasum spectantia caetera habebant Burgundiones, inter Druentium amnem, Alpesque interjecti et Ararim et Rhodanum. Anno 486. Franci a Clodovaeo trans Rhenum ducti, necato Siagrio Roma-

(28) Origines Langobardicas vide apud Joannem Fridericum Christium a quo emendatur, et augetur historia Langobardorum e codice MS. Jenensi. Halae 1728. Cf. nota sup.

(29) Vidd. Rerum Svevicarum Scriptores. Ulmae 1727. Cf. Isidorus Hispal. in chronico Gotthorum Vandalorum et Svevorum, apud Grotium in Hist. Gotthorum p. 705. Amstelodami 1655.

norum procuratore, eorumque viribus in Gallia fractis, ad Ligerim usque progressi sunt: Alemannis postea devictis, Visigothorum regnum arctatum fuit, donec, deletis a successoribus Chlodovaei anno 534. opibus Burgundionum, aliae provinciae ad illud accessere. Principatum habuit in Gallia gens Merovingia ad annum 752. quo, post ejectum Childericum III., cui cognomen Stupidus, cooptatus est Rex Francorum Pipinus Caroli Martelli filius, qui moriens anno 768. duos filios reliquit Reges, Carolum Magnum Suessionibus, et Carolomannum Novioduni, quo postremo extincto, omnia anno 771. in Caroli Magni potestatem devenere (30).

§. XII.

In Hispania et Africa.

Visigothos constituit in Hispania Ataulphus, qui anno 411. Alarico successit, et post triennium e Galliis expulsus Hispaniam petiit, quae Visigotho-

(30) Videatur praeclarissimum opus Andreae Du Chesne inscriptum - Historia Francorum Scriptores coaetanei ab ipsius gentis origine ad Pipinum usque Regem T. I., Lutetiae Parisior. 1636. a Pipino Caroli Magni Patre usque ad Hugonem Capetum Regem T. II. Parisiis anno eodem; a Carolo Martello Pipini Regis Patre usque ad Hugonis, et Roberti Regum tempora, T. III. Lut. Paris. 1641. edit. post mortem Andreae Du Chesne cura et studio Francisci filii; ab Hugone et Roberto Regibus usque ad Philippi Augusti tempora, T. IV. Lut. Paris. 1641., a Philippo Augusto Rege usque ad Regis Philippi IV. dicti pulchri tempora. Lut. Paris. 1649. Quoad posteriora saecula suo loco et tempore.

rum constitutio cum annos circiter 300. obtinuisset, cessit sub Roderico, quo regnante anno 712. Saraceni Arabes submoti a Juliano Comite, Hispaniam ingressi sunt, et post immane urbium et populorum excidium, caedem Roderici, Gothorum depulsionem, Cordubam sedem principem in Provincia Baetica habuere. Verum non ideo interiit Christianorum dominatio, propterea quia Astures anno 718. regem jusserunt Pelagium, in cujus successoribus duo Alfonsi eminuerunt; primus anno 750. Saracenos e Gallia exterminavit; alter, qui Casti nomine, designabatur, exsecrandum foedus perfregit, quod Mauregatus Asturiae Tyrannus cum Saracenis pactus fuerat, ut centum Virginum tributum quotannis pensitaretur (31).

Wandali in Hispaniis degentes anno 427. a Bonifacio Africae Comite acciti in Mauritaniam traducti sunt a Genserico, et anno 439. cum Carthagine potiti essent, in Africa regnum habuerunt, cui vero finem dedit Belisarius, postremum Wandalorum Regem Gelimerem (32) Constantinopolim abducens anno 534, qui erat annus quintus et nonagesimus ab occupata per Wandalos Carthagine. Africam deinde aggressi sunt Saraceni, quam, diruta Carthagine, anno 690, sibi subjiecerunt (33).

(31) Vid. Joannes Mariana in Historia de rebus Hispaniae Lib. XXX. duobus Tomis edita. Hagae Comitum 1733.

(32) Vid. Procopius apud Grotium jam cit. n. 29. pag. 62. et seqq.

(33) Vidd. notae sup. 27. et 29.

§. XIII.

Barbari parent Ecclesiae. Gothi.

—

Barbari qui florentioribus Occidentalis imperii provinciis jugum imposuerant, suave Christianae Religionis imperium effugere non potuerunt. Etenim inter Gothos, anteaquam in Romana ditione consedissent, eam Scythiae Europeae partem incolentes, quae ab Istro flumine Paludem Meotidem, et Tanaim pertingit, magnopere increverat Religio ante saeculum IV. nisu et labore Christianorum, qui tempore Gallieni ex Cappadocia et Galatia a barbaris mancipati sunt, et Gothi et Sarmatae medio saeculo IV. a Cyrillo Hierosolymitano commendantur, quippe qui Religionis gratia virginitatem et regulares Monachorum disciplinas honore prosequerentur. Ex iis multi, avitam superstitionem retinentes, cum patriis sedibus ab Hunnis expulsi in Thraciam, assentiente Valente Augusto, successissent, Christianorum numerum auxere, quamvis sub Ulphila, quem Valens Arianorum gregi adjunxerat, horum signa sequerentur; nihilominus plurimi haereticam labem evitarunt, eosque praesertim qui ultra Istrum, et Danubium, in Scythia morabantur, Brettanion Episcopus Tomis in Scythia a fidei desertione prohibuit. Ad haec Chrysostomus tribum Scytharum Nomadum, ad Danubium tentoria habentium, Christianae fidei asseruit, Episcopo cre-

didit, sedulamque navavit operam, ut Gothos, qui in Romano Imperio versabantur ab Ariana pravitate ad Catholicam veritatem flecteret (34).

§. XIV.

Burgundiones et Franci.

—

Nondum erat annus 417, quo anno Orosii historia perfecta fuit, cum Burgundiones Catholicam fidem (35), et cum fide morum etiam humanitatem susceperunt, licet postea ad Arianorum stipendia, quae Wandali, Alani, et Svevi jamdiu merebant, transierint. At nihil id temporis ad memoriam posteritatis insignius, quam celeberrima Chlodovei, Francorumque gentis conversio: nihil in hanc rem praeclarius laboribus Remigii Rhemensis Episcopi, curaque singulari Chlotildis Burgundiae regis filiae, cui nil inexpertum fuit, ut Chlodoveo viro suo saniorem de Christo, et de Religione mentem injiceret, cuique res ex votis cessit, quandoquidem Chlodoveus in pervigilio Sacrae Nativitatis an. 496. Baptismate a Remigio rite ablutus est (36). Multum

(34) Vid. Historia Gothorum jam cit. apud Grotium in nostra nota 27. Quoad linguam et scribendi formam tempore Ulphilae videatur Ericus Sotberg Vadsteno-O-Gothus in diss. Philolog. inscripta - Ulphila illustratus - Holmiae 1752.

(35) Vidd. Socrates, Hist. Ecl. Lib. III. C. XXX. p. 379. edit. al. cit. Gregorius Turonensis opera juxta edit. Maurinam Ruinartii Luteciae Parisior. 1699. et Orosius Lib. VII. Cap. 32.

(36) Vid. Gregorius Turonensis in edit. sup. cit. p. 82. et seq.

autem ad Religionem in Francorum finibus dilatandam contulerunt per ea tempora Quintianus et Gallus Episcopi Arvernenses, Melanius Redonensis, Eleutherius Tornacensium, Vedastus Atrebatensium, queis post Remigium illustris Apostolorum fama penes Francos obvenit (37).

§. XV.

Hiberni et Scoti.

Anno circiter 431. Caelestinus Pontifex Maximus in Hiberniam, quae Britannia minor et Scotia major apud veteres audiit, Palladium misit Diaconum, utque efficacior ejus opera evaderet, Episcopali dignitate auxit, neque exiguos sane ex illa legatione fructus conlegit. Eundem vita functum excepit magna sanctimoniae laude spectatus vir, Patricius, qui eo Christianae fidei negotia in illa regione perduxit, ut Hibernorum Apostolus jure ac merito conclamaretur; fuit enim Apostolicae sollicitudinis, Insulae partes ad unam invisere, beneficiis cumulare, discipulorum animos ad universae Hiberniae conversionem incitare, qua tandem peracta, pontificalem sedem Ardmachiae statuit, unde urbs totius insulae caput esse caepit. Apud Pictos autem meridionales, anteaquam Patricius Hiberniam petiisset, prolatum anno circiter 412. Evangelium a Ninia seu potius Niniano, ut scimus a Beda,

(37) Cf. jam cit. Gregorius Turon.

nullas radices egisse ideo credendum est, quod in Religione illic et prope septentrionalem plagam instauranda plurimum adlaboravit anno 565. Columbas Hibernus Monachus complexus pari beneficio Scotos, in quibus humanas dapes, turpes concubitus, foedissimasque procreationes viguisse comperimus ex Hieronymo in Libro contra Jovinianum secundo (38).

§. XVI.

Anglo-Saxones.

—

Haud tam cito inter Anglo-Saxones Christiana veritas admissa fuit; idque culpabili sane Britannorum segnitie, qui intra fines Anglorum, hisce quantumvis invitis, considentes, Religionisque nostrae haereditatem servantes, nihil tamen ad Ethnicos e caeno extraendos incubuerunt. Quo certo et lacrymabili animarum errore permotus Gregorius Magnus nil aliud spectavit, nisi ut Anglo-Saxones ad salutis tramitem advocaret, adhibito ad id Augustino, cum aliis Monachis. Nec res votum ac spem fefellit, siquidem vel in ipso hominum accessu ad Janetum insulam, quae spectat Cantium, orientalem Britanniae plagam, anno 599. Ethelbertus Rex

(38) Britannicarum Ecclesiarum antiquitates vide apud Usserium Londini 1687. Cf. etiam Worthonius in op. Anglia Sacra sive collectio historiarum partim antiquitus partim recenter scriptarum etc. Londini 1691. nec non Matthaeus Vestmonasteriensis in op. Flores historiarum collecti praecipue de rebus Britannicis ab exordio Mundi usque ad annum Domini 1307. Francofurti 1601.

Cantii, cum ingenti multitudine e veterno superstitionis excitatus est: Saxones Orientales, quos Thamesis fluvius a Cantio partitur, statim ad regis exemplum compositi, et celebris in Est-Saxia constructa Ecclesia. Anno Christiano 625. Northumbrigenses cum Eduino Rege, qui in Eboracensi urbe se habebat, convertit ad Christum Edilburga ab Ethelberto nata, et Eduino nupta, petiitque a Justo Archiepiscopo Cantuariensium Paullinum Pontificem Eboracensem, qui tantum profecit ut proceres et maxima populi pars Eboraci anno 646. ab eo Baptismum acceperint (39).

§. XVII.

Regna Saxonum Occidentalium Merciorum et Australium.

Commissis anno 635. ab Honorio Romano Pontifice Saxonibus Occidentalibus Birino, per hujus industriam statim consecuta est conversio Cynigilsi Regis, et Dorcinensis Episcopatus constitutio. Post fatum Cynigilsi Kenenvalchius filius cum patrio regno patriam pietatem non suscepit, quinimo Religionem deseruit, donec tristibus aerumnis affectus vel potius eruditus, suasore accedente piissimo Orientalium Anglorum Rege, et malefacti conscientia veluti aculeo punctus, ad saniorem mentem est re-

(39) Videantur Annales Ecclesiastici et Civiles Britannorum, Saxonum Anglorum Michaelis Alfordi alias Griffith quatuor Tomis comprehensi; Leodii 1663.

vocatus. Quare in patrium regnum, quod Mercii invaserant, postliminio reversus, religionem, omnigenamque virtutem coluit in exemplum, et ubique promovit, remque Christianam in West-Saxia, foventibus Angilberto et Eleutherio Episcopis, ad celsissimum fastigium extulit. Quae omnia sive in Anglia, sive in finitimis Scotorum et Hibernorum regionibus tam magna ad incrementum Religionis fuerunt, ut inde tamquam ex fonte et seminario Evangelii propagatio seducta sit.

§. XVIII.

Frisia Citerior.

Non defuit suus Religioni locus et honor in Frisia saeculo septimo: quae res, utpote peculiare divinae providentiae indicium, altius revocanda videtur. Francorum dominatus in Citeriori Frisia repeti solet a temporibus Dagoberti, qui primus in eos regnavit, et occupatum Trajectum, Citerioris Frisiae urbem, Episcopo Coloniensi dono tribuit, dummodo ignorantiam totius Divinitatis, qua Frisones detinebantur, ipse dilueret. Qui cum fidem non praestitisset, Idololatria non modo evelli non potuit, sed interiores radices egisse saeculo praesertim septimo visa est. Ad haec, malum exitum habuere, malamque laborum mercedem Evangelii praecones, partim ex Francia missi, partim ex Hibernia, quosque Radbodus Frisiae Dux, qui diutur-

num bellum cum Pipino Caroli Martelli parente exercuit, ab universa ditione sua eliminavit. Qui vero cum per Francorum copias e Citeriore Frisia annum prope 689. exactus esset, dignumque pro injuria pretium tulisset, Frisia omnis, Evangelicae praedicationi, impedimentis sublatis, late patuit. In qua quidem plurimum valuit Villebrordus Anglo-Saxon cum undecim sociis apostolici ministerii quod, annuente Pipino, in Frisia gessit, creatus deinde anno 692. Pipino vocante, Episcopus Trajecti ad Rhenum a Sergio Romano Pontifice. Roma reversus, ubi sacris infulis fuerat insignitus, Frisonum conversionem a Wulframno Episcopo Senonensi, et Wigberto intentam, ad optatum finem perduxit, ut plures Ecclesiae ac Monasteria aedificata, ipseque Divini cultus splendor testabantur.

§. XIX.

Frisia Ulterior.

Ab ulteriori Frisia Rabdodus, qui suprema potestate praeerat evangelicam vocem prohibuit: quae vero ab ejus interitu, dum pax per aliquot annos cum Francis intercessit, graviter fuseque in ea regione insonuit. Obmutuit rursus inter tumultus ac turbas quas Frisones, Carolo Martello de Aquitanico belluo distento, occasionem nacti in nostros concitarunt, ab eodem Martello postea, anno scilicet 734. per magnam vim ad officium compulsi.

Nec diu fuit cum Bonifacius (40) qui Winfridius antea appellabatur, et Germanos Christo subjecerat, suffecto sibi Lullo in Maguntina sede anno 753. in Frisiam se contulit, ubi quondam Willebrordum habuerat institutorem, et Ecclesiam Ultrajectensem a Carolomano Pipini fratre sibi creditam, pastorali munere capessens, illustris extitit per totam Frisiam Evangelii praedicator, martyrio denique illustrior (41).

§. XX.

Hassia, Thuringia, et Franconia.

Hassia, Thuringia, et Francia Orientalis sive Franconia, quae provinciae saeculo septimo in Franciae deinde in Germanorum ditione fuerunt ad Christianam Legem vel a remota antiquitate excussae sunt, in primis Francia Orientalis, quam Kilianus Monachus Hibernus an. 686, Evangelica praedicatione implevit. Sed cum hebetudo, et crassa Paganorum incolarumque inscitia omnem fere Religionis imaginem, oriente saeculo octavo, delevisset, hinc factum est ut Bonifacius, cui latissima

(40) Vidd. dissertationes de Bonifacio Germanorum Apostolo quas Christophoro Boehmero Praeside proposuit Henricus Philippus Gudenus, Helmstadii 1720.

(41) Witichindi Saxonum Ducis ictibus concussa non fuit Frisonum religio dum eam Provinciam adoriebatur. Ipse potius Caroli potentia concussus, et in fugam projectus, Ecclesiae triumphum ut omni aevo contigit, praeclariorem effecit.

praedicandi copia a Gregorio Pontifice hujus nominis secundo facta fuerat, eo contenderet Religionisque dignitatem mirum in modum redintegraret, et augescente magis ac magis Fidelium numero, singulis Provinciis Pastorem impertitus sit, Franciae Orientali ad Wirttzburg (42) Burchardum, Hassiae ad Buraburg (43) Wittanum, Thuringiae ad Erphesburt (44), Hadelharius.

§. XXI.

Bajoaria.

Vindelicia (45) cum parte Norici a Bajoariis (46) medio saeculo VI. occupata, unde Bajoaria dicta est, aliquos jam tunc habuit Christi sectatores (47), Christianosque etiam dominos, reges Francorum. Sed ubi Fides imminui, et idololatria rursus invalere coepit, Chlotarius Secundus, pater Dagoberti Primi Francorum Regis, id negotii Agilo et Eustathio dedit, ut errantes ad ovile Ecclesiae reducerent, imbecilles firmarent, Religionis nescios divinarum rerum ignorantia haud amplius sinerent contabe-

(42) Urbs ad Maenum posita.

(43) Aut Burisburg, olim praecipuum in Hassia Bortharorum oppidum.

(44) Hodie Erfordia ad Gerem fluvium.

(45) Seu utraque Rhaetia.

(46) Melius Bojoariis.

(47) Primus Bajoariae dux dicitur Garibaldus anno 556. quem Christianum fuisse sunt qui putant.

scere (48). Huc quoque spectaverunt initio saeculi VII. Rupertus Wirmatiae Antistes (49), Corbinianus Episcopus Frisingensis, Willibaldus Eistetensium Pontifex, et Wunibaldus Abbas Heidenheimensis, non inglorium sane laborum exitum sortiti. Accessit industria Bonifacii, qui, regiones illas Evangelii propagandi causa pervadens, Episcopos quatuor, Salisburgensem, Frisingensem, Regionensem, seu Ratisponae, et Pataviensem Bajoariae omni constituit (50).

§. XXII.

Alemannia, Svevia et Helvetia.

—

Alemannis, qui proprios amiserant reges, proximas in Rhaetiis terras impertivit an. 499. Theodoricus Italiae Rex: iis medio saeculo VI. erat reipublicae gestio, Francorum similis: religionis instituta plane diversa. Quo tempore autem in eorum sedes

(48) Eo intendebant etiam Emmerammi labores patria Pictaviensis, et cujusdam urbis in Aquitania secunda Episcopi.

(49) Seu Rhudbertus vel Ruodpertus, qui Theodonem II. Bajoariae ducem ad Christum convertit, et baptizavit. S. Ruperti gesta, praeter alios scriptores, evulgavit Marcus Hansizius in Germania Sacra T. II. pag. 33. Augustae Vindelicorum 1729. Mortem Theodonis descriptam invenies apud Mezgerium in Hist. Salisb. edit. Salisb. 1692. pag. 140.

(50) Videantur Rerum Boicarum Scriptores collecti ab Andrea Felice Oefelio duobus Tomis comprehensi. Augustae Vindelicorum 1763. Quoad S. Bonifacii gesta videatur etiam Josephus Mezger in historia Salisburgensi. Salisburgi 1692. pag. 174. et seqq.

Svevi per Rhaetiam usque ad Brigantinum Lacum (51) se, suumque nomen, statuerunt, tunc primum Christum illico enunciatum fuisse, putandum est. Superstitioni, quae ad exitum sexti ad initium septimi saeculi quamplurimos occupavit, fortiter restitit Columbanus Monachus Hibernus, cui se praebuit socium et comitem Gallus Monachus (52) gentilis suus, Helvetios ad caput Tiberini lacus degentes sincera Dei notitia imbuere jussus. Ejusmodi institutionem a primis temporibus Helvetiis non defuisse, nullus inficias ibit, cum aeque indubium sit paganorum errores nec simul, nec uno ictu, esse collapsos: hoc sibi praestituerunt discipuli Columbani impiae superstitionis caput infringere, inflammantes ad fauces Limagii superioris Tuccolingiae Idolium perenni Ethnicorum frequentia celeberrimum, plurimisque laboribus in Helvetia pro Christo perfuncti (53).

§. XXIII.

Bellum Saxonicum Caroli M.

Saeculo octavo, quo Caroli Magni aetas incidit, praeerat Witichindus Saxonibus, qui, ut omnes fere caeteri Germaniae populi, ingeniis inhumani,

(51) Hodie Constantiensis lacus. Quaestiones quoad Brigantii fines videsis apud Carolum Le Cointe in Annal. Eccles. Francorum T. II. pag. 608. et seqq. ad an. 610. ubi etiam Columbani vitam bene descriptam invenies, et Galli monachi gesta. Cf. Pagius ad an. 627.

(52) Cf. nota sup.

(53) Inter quos mentionem merentur Romanus, et Lupicinus,

et moribus, rapaces manibus, sanguinarii, ac Daemonum servitute detenti (54), non Christianam modo oderunt Religionem, sed feroces animos in Fideles gerentes, nihil ideo pensi, ac moderati habebant: devicti a Carolo Martello, Pipinoque filio, et tributarii Francorum facti ea pacis conditione, ut caede, direptione, incendioque sibi temperarent, nihil tamen secius Francis infesti, molestique perstiterunt. Quam singularem contumaciam minime ferens Carolus Magnus, bellum in eos indixit anno 772., et per annos tres supra triginta nunquam intermisit: daturus profecto finem, nisi Witikindi perfidia, Saxonumque audacia, obstitissent. Incredibile enim dictu est, quid promptum haberent in sermone, quid clausum in pectore, quam saepe debellati ad Caesaris clementiam confugerint, pollicitis largi, re inanes: quum saepe patriae superstitionis fastidium, at-

(54) Cujus religionis fuerint antiquitus Saxones, nos docet Georgius Fabricius Chemnicensis in Saxonia illustrata. Lipsiae 1606. pag. 61. ait enim « In tenebris errorum maximorum cum aliis Germanis Tybilenum (ut Tertullianus vocat) coluisse verisimile est, quo nomine « Saxones malum Daemonem in hunc diem appellare consueverunt. « Qui gentis annales ediderunt, numen populare memorant, Crodum « quemdam, messoris specie, qui cinctum lineum gestat: dextera ferens vasculum rosis repletum, sinistra erecta rotam currus. Pedibus nudis insistit pisci squammoso et aspero, quem Percam vocamus. Coluerunt item Hamam, specie regia cum aliis Diis Deabusque duodecim. Coluerunt Irmum in insigni statua; atque hos dejectos, et destructos a Carolo Magno narrant Annales Magdeburgii... « Addunt alii Flinnum, et Sibam Deam, et Atrum nomine quem colebant ne nocerent, et malum Deum inauspicatumque dicebant ».

que contemptum, paratos e contra ad Religionem nostram animos per Legatos ostentaverint. At nil praeter nugas: Francorum siquidem ditione per dolos et fallacias subterlabi, novis latrociniis manus admovere, materiem omnem, si qua esset, Religionis evertere, eique addictos acerbe morte interimere, id demum erat datam iterum atque iterum fidem exonerare (55).

§. XXIV.

Saxones Christiani. Caroli virtus.

—

Ea audacia armati, licet Caroli, suorumque impetu sexies perculsi, neque animos, neque cervices subjiciebant: quin potius, Frisiis in societatem accitis, extrema quaeque obire, quam Francis manus dare maluerunt. Hic Carolus, ut rem omnem denique conficeret, septimam factionem anno 784. in eos molitus est, duosque misit exercitus, quorum alter, filio duce, Westphaliam impeteret, alterum vero ipse (56) in Ostphaliam immitteret. Quare ad incitas redactus Witikindus, cum nihil sibi tutum fore arbitraretur, de deditione statuit, singularemque Caesaris clementiam admiratur, qui bellico triumpho nobilius ejusmodi victoriae genus prae habuit regia animi magnitudine, atque ita devinctus est, ut

(55) Cf. citatus Georgius Fabricius Chemnicensis in Saxonia illustrata.

(56) Per Thuringiam.

Religionem recte factorum magistram et fomitem, ipse cum uxore, ingentique Saxonum numero, anno 785. amplecteretur. Sed quia varia et irrequieta Saxonum ingenia Carolus perspecta habebat, metuebatque, ut, si omnes una simul consisterent, novis tumultibus ansa praeberetur, plura idcirco eorum millia in Belgium, et Gallias dispersiit (57), data pluribus Gallis et Belgis, copia Saxoniam incolendi. Hoc pacto diuturnum bellum anno 804. compositum est, magnumque profecto, et ad Caroli, Francorumque gloriam, et ad rem Christianorum publice utilitatem. Nec audiendi sunt, qui, praeclaras Caesaris laudes invertentes, iniquitatis notam eidem impingere non erubuerunt, quod proditiones in subsidium vocarit, pacem extinxerit, crudeliterque se gesserit; hi enim vel inscitia, vel dementissima temeritate, ad judicandum adducti sunt, et a gravissimo scriptore Eginharto, Caroli caevo, testeque oculato, facile revinci possunt (58).

(57) Vid. J. D. Köler de transportatione Saxonum a Carolo M. facta. Göttingen 1748.

(58) Ita si Voltairius Eginhardum attente legisset, certe tot, tantaque adversus Carolum M. convicia compingere haud potuisset. Eginahrtus enim alio quidem colore depingit Carolum, quo eum Voltairius. Eginhardus autem omnem mereri debet fidem, tum quia magnus, et vir undequaque doctissimus, virorum sui temporis prudentissimus ab scriptoribus appellatur, tum quia coaevus scriptor sit, et narret de Carolo quod ipse viderat, et testari veraciter poterat, quemadmodum fatetur initio historiae Karoli M. Imperatoris hisce verbis: « Tamen ab hujusmodi descriptione non existimavi temperandum, « quando mihi conscius eram, nullum ea veracius quam me scribere

§. XXV.

In Westphalia Religionis progressus.

Anteaquam Carolus arma ferret in Saxones, Evangelica vox, licet inaniter, ad proximas regiones

« posse, quibus ipse interfui, quaeque praesens oculata, ut dicunt, « fide cognovi, et utrum ab alio scriberentur nec ne, liquido scire « non potui. » p. 93. T. II. Scriptorum Historiae Francorum ap. Du Chesne Lutetiae Paris. 1636., et pag. 1. Scriptorum apud Reuberium. Francofurti 1584. Jam vero ex ipso Eginhardo colligere possumus Carolum nec proditorem, nec crudelem fuisse, nec vi et armis eos ad Religionem Christi amplectendam adduxisse, etiamsi plures Saxones ob violatam fidem jusserit internecione deleri. Primo enim adnotanda est ex Scriptoribus, perfidia Saxonum, eorum feritas, vitia quibus pro feritate sua diffluebant, deinde Caroli Magni aequitas, mansuetudo, et in omnibus temperantia. Mores Saxonum descriptos habes apud citatum Georgium Fabricium Chemnicensem in Saxonia illustrata, Caroli virtutes Eginhartus depinxit hisce verbis pag. 101. To. II. Du Chesne. « Ceterum per omne vitae suae tempus ita cum summo omnium amore atque favore et domi et foris conversatus est, ut nunquam ei vel minima injustae crudelitatis nota a quoquam fuisset objecta. Amabat peregrinos, et eorum suscipiendorum magnam habebat curam: adeo ut eorum multitudo non solum palatio, verum etiam Regno non immerito videretur onerosa. Ipse tamen prae magnitudine animi hujuscemodi pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonae famae mercede compensaret. » Videatur etiam Henricus Spondanus in Epit. Ann. Baronii ad an. 814. n. 5. qui Eginhardi, aliorumque monumentorum auctoritate suffultus, elogium Caroli quoad Religionem exaravit. Curioso lectori haud ingratam rem facere arbitramur, si Caroli Magni formam cum Eginhardi verbis describamus, pag. 101. jam cit. « Corpore fuit amplo atque robusto, statura emi- « nenti, quae tamen justum non excederet modum. Nam septem « suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse mensuram. Apice « capitis rotundo, oculis praegrandibus, ac vegetis, naso paululum

accesserat. Boructariis, qui Westphaliae populi in occidua ripa Rheni prope Coloniam Agrippinam ad Lippiam amnem degebant, decedente saeculo septimo, Religionem nostram suasit Suidbertus Anglus, quo autem Saxonia expulso, Hewaldi duo Angli Evangelium Boructariis praedicantes, ad mortem, quam fortiter oppetiverunt, vocati sunt (59).

« mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie laeta, et hilari. « Unde formae auctoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima adquirebatur. Quamquam cervix obesa et brevior, venterque « projectior videretur, tamen haec ceterorum membrorum celabat ae« qualitas. Incessu firmo, totaque corporis habitudine virili. Voce « clara quidem, sed quae minus corporis formae conveniret. Vale« tudine prospera praeterquod antequam decederet per quatuor an« nos crebro febribus corripiebatur. Ad extremum unico etiam pede « claudicaret. Et tunc quidem plura arbitratu suo, quam medicorum « consilio faciebat, quos pene exosos habebat, quod ei in cibis assa, « quibus assuetus erat, dimittere, et elixis adsuescere suadebant ». Quoad Saxonum conversionem ad Christum Cff. praeter Eginhardum, M. Jo. Fridericus Hillerus in diss. de Saxonibus Christo subjectis. - Vitembergae 1746. G. T. Ludwig. in hist. Saxoniae a Francis subjugatae sub Carolo M. Lipsiae 1724. C. G. Hofmann de pietate Caroli M., qua in conversione Saxonum ad Christianam religionem usus est. disp. praelim. ad Schurzfleischii Fund. Hist. Germ. mediae. Schneeberg 1728. Vid. etiam Chronicon Alberici apud G. G. Leibnitium in access. hist. T. II. p. 120. et seq. Hannoverae 1698. Animadvertendum autem est, Ecclesiam Romanam nunquam eam Caroli M. relationem adprobasse quam peregit Paschalis III. Antipapa, ut inter Sanctos adscriberetur Imperator. Quare nulla ejus mentio in Cal. Rom., nec in Breviario PP. Benedictinorum, etsi iis plurimum Carolus favisset.

(59) « Duo quidam Presbyteri (ait Beda lib. Hist. Eccl. c. 2. pag. 406. edit. Cantabrig. 1644.) de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro aeterna patria exulaverunt, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem praedicando Christo

Multum deinde adlaboravit Lebuinus Anglus, cum Sturmione Abbate Fuldensi, ut superstitione Saxones eximeret. Cui rei magnum momentum allaturus Carolus eandem provinciam Abbatibus, et Episcopis concredidit, in quibus Villehadus Bremensis, et Ludgerus Monasteriensis, postea Episcopi, excelluerunt. Et, ne quid inchoatum dimitteret, quod ad Religionem in Saxonia tuendam pertineret, effecit ut constituerentur Pontificales Sedes Osnabrugensis, Paderbornensis, Halberstadiensis, Bremensis, Verdensis, Mindensis, Monasteriensis, et Hildesiensis; Saxonibus interea, qui trans Albim morabantur, Archiepiscopo Trevirensi, ad Christianam educationem, commissis (60).

§. XXVI.

Judaei hac periodo Fidem amplectuntur.

—

Judaeos neque paucos in Romanorum ditione, vel extra, haec eadem periodus Christi Ecclesiae

acquirere possent. Erant autem unius ambo sicut devotionis, sic etiam vocabuli. Nam uterque eorum appellabatur Hewald: ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie unus niger Hewald, alter albus Hewald diceretur.» « Sed hi (prosequitur Fabricius Chemnicensis jam cit. p. 62. ex Beda) ab agrestibus prius trucidati sunt, quam ad Praefectos Provinciarum venissent: in Rhenum conjecti, cum essent corpora ipsorum Coloniae in Vbiis inventa, et in aedem sacram religiose translata sunt. »

(60) Vid. Chronographus Saxo ap. Godefridum Guilielmum Leibnitium in access. hist., ubi scriptores rerum Germanicarum T. I. p. 125. *Hannoverae* 1700.

subjectos dedit. Hos inter incolae unius ex insulis Balearibus, quae Minorica appellatur, prodigiosa sanctarum reliquiarum virtute permoti, fidem Christo obstrinxerunt, quod in causa fuit, ut Severus Insulae Praesul eventuum synopsim historicam encyclicis litteris complexus sit. Eodem saeculo quinto (61) in insula Cretensi Judaeorum ad Ecclesiam accessio non parva facta fuit (62), cui addenda est eorum multitudo, qui Borione in Lybia per Catholicos Presbyteros a Justiniano Imperatore missos Religionis jugum susceperunt (63). Ad haec insignem de Judaeorum pervicacia triumphum retulerunt in Occidente Gregorius Magnus, et Avitus Viennensis; quo autem judaicae conversionis ardore nonnulli in Gallia, Hispania, et Italia eo deflagrarunt, ut in manifestam etiam vim erumperet, et gladii potestas non liberum judicium Christicolis faceret: immodico zelo occurrit Gregorius Magnus, omnemque injuriam prohibuit (64), quod Toletana Synodus quarta, anno 633. Canone 57. sua auctoritate firmavit.

(61) Anno 431.

(62) Occasione cujusdam impostoris, se Mosen venditantis, Judaeisque promittentis, se eos ducturum per mare mediterraneum in Palaestinam siccis pedibus. Judaei delusi, Christo nomen dederunt.

(63) Justiniani curis, plurium etiam Samaritanorum in Palaestina ad Christum conversio est tribuenda, quemadmodum Chilperico qui Suessione in Franco-Gallia morabatur an. 583. eorum Judaeorum conversionem tribuimus. Avitus dum Claramontanum episcopatum gerebat, suasit Judaeis, aut Christum sequerentur, aut loco cederent. Quingenti eorum circiter Christiani facti, reliquos Massilia excepit, qui tamen brevi veritatem amplexati sunt.

(64) In epistolis ad plures Episcopos scriptis.

CAPUT II.

De Persecutionibus.

§. I.

Julianus a Religione deficit.

—

Nec quidquam durum acerbumque a Romanis Imperatoribus pavescere videbatur Ecclesia, post propulsatas Licinii injurias, cum inopinata et flagitiosissima Juliani pestis insurrexit. Hic patruelis Constantii non a religione solum, quam una cum Gallo fratre germano ab incunabulis acceperat impie defecit, (65) sed, (quod intolerandum fuit) ita in eam exarsit, ut pene furere videretur, et ad eam funditus evertendam, Deorumque cultum superstruendum, ingenium atque opes conferret. Simultates summas cum Constantio exercens, philosophorum sectae faciles plus aequo aures, facilem que animum accommodans, et a Platonicis quibusdam, speciosa magis quam vera venditantibus, undequaque circumventus (66) infractam eo usque Religionem

(65) Anno aetatis suae 20. a Christo defecit, et ad Deorum cultúm conversus est, dum se Christianum simulabat Constantii metu, idolis tamen clam sacrificabat, mysteriisque Ephesinis, et Eleusinis initiabatur.

(66) Praecipue a Maximo, et Libanio. Vid. Socrates, Hist. Eccl. Lib. III. p. 168. T. II. edit. Cantabrig.

illorum argumentis, veluti nervis omnibus, exscindere posse confidit. Et cum philosophi illi divinationem Geniorum, ac Daemonum imperium ostentarent, varia praesagia atque indicia, ad ampliorem in dies dominationem suadendam Juliano obtulerunt; quo factum est, ut hisce aliisque blanditiis et artibus Principem omnis captatorem aurae sibi devinctum, Christianis vero quotidie magis infensum haberent.

§. II.

Idolos in pristinum cultum restituere conatur.

—

Vix a Constantii obitu potestas summa atque arbitrium anno 361. in Julianum cesserat, compressos animi sensus aperuit, virumque evomuit, quod ad indignationem Constantii declinandam, eo usque celaverat. In hoc autem adversus Religionem molimine, cruciatus, interneciones, et ignes abijcere sibi praestituit, quae omnia crudeliter, magisquam utiliter, Imperatores fuerant experti; sed blanditiarum et fraudum tramite, transversisque cuniculis omnino esse incedendum existimavit: quod simultatis genus, specie quidem lenius, funestissimam in Ecclesiam labem occultabat, et periculosius occultasset, nisi malesuada rabies hominem in apertam saevitiem impulisset. Itaque muneribus publicis Christicolas, vectigalibus primum oneratos per Edicta prohibere, militare cingulum nemini usque ad litationem concedere, sive priva-

tam, sive publicam rei litterariae professionem Christianis interdicere, quae scripta fidem nostram assererent insectari, et prorsus abolere, oblata et rata Praesidibus Provinciarum copia, nostros qua calumniis, conviciis, et probris, qua torsione et caede afficiendi: huc Julianum praecipiti atque ignito furore excedentem Divina judicia manebant, in praelio enim adversus Persas occubuit; quo ictu, incertum (67).

§. III.

Irrita Hierosolymitani Templi instauratio.

—

Sed nil majus, ad Ecclesiam labefactandam, Juliani animum occupavit, quam instauratio templi Hierosolymitani (68). Nam, cum intelligeret acerrimus Christianae Ecclesiae exagitator firmissimum pro ea peti argumentum ex perpetuo illius templi excidio, sacris praeclarisque vaticiniis (69) illudere

(67) Legantur Socrates sup. cit. p. 170. Sozomenus in edit. Cantabr. T. II. p. 182. Cap. III. pag. 200; XV. pag. 202; XVI. p. 205; XVII. Hist. Eccl. Theodoritus in Hist. Eccl. cap. VI. et seqq. pag. 127. et seqq. edit. Cantabr. T. III. Vid. nostra nota (70).

(68) Jam a Tito Vespasiano eversi.

(69) Juxta prophetiam Danielis IX. 26. et seq. « et post Hebdo-« madas 62. occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum ne-« gaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce « venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. « Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio he-« bdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio « desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit de-« solatio » Christus etiam vaticinatus est templum Hierosolymitanum

ratus est, si opus, cujus eversionem in omne aevum nunciabant, ipse excitaret. At eventus, qui secutus est, vesanam frustrans audaciam, novum, et ineluctabile Divino Verbo testimonium peperit, et unde jactabantur minae, et opponebatur formido, caeleste praesidium et inconcussa Ecclesiae nostrae stabilitas eluxerunt. Vix enim in magna multitudine eorum, quos rei fama et expectatio adduxerat Hierosolymas, manus operi a Judaeis admotae sunt, confestim globi ignei e terrae sinu erumpere, omnia denso vortice involvere, ipsa alto fragore terra qua horrendoque motu impii consilii ministros ab incaepto deterrere. Signo divinitus edito, quod in omnium oculis atque auribus versabatur, Ethnici, et prae aliis Ammianus Marcellinus, Judaeique ipsi indubiam fidem fecere, quam si nonnulli postea derogare ausi sunt, ab Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, et Jo. Chrysostomo luculentissimis scriptis convicti obmutuerunt. Admiranda sane, summisque laudibus nostrorum Patrum libertas, qui hujusmodi scripta non in privata colloquia, aut in conciones, sed in publicam lucem et jus protulerunt, adversarios non tam refellendo, quam judices

« ita eversum iri, ut nunquam deinde instaurandum foret. Matth. XXIV.
« 15. et egressus de Templo ibat, et accesserunt ad eum discipuli ejus,
« ut ostenderent ei aedificationem templi. Ipse. . . . amen dico vobis,
« non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. . . Cum
« ergo videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele
« Propheta stantem . . . non praeteribit etc. » . . . Vid. Lucas XXI. 20.

advocando, si quid commentitii, si quid minus explorati in rei enarratione excidisset (70).

(70) Hujus miraculi veritatem, vel infirmare vel denegare conantur Midletonius in Oratione de dono Miraculorum, Basnagius l. 6. hist. Judaeor. et Voltairius melang. c. 62., necnon Michaëlis. Nos autem illud certissimis argumentis probatum asserimus, nisi de omnibus veritatibus historicis dubitare velimus. Ex ipsa Scriptorum omni exceptione majorum enarratione, rei veritas evincitur, quorum testimonia referenda duximus ut auditorum nostrorum desiderio faciamus satis. Ammianus Marcellinus, qui Juliani gesta ignorare haud poterat, erat enim coaevus, et ethnicus, etsi ab nonnullis Christianus credatur, imo de ipsius Imperatoris aula, haec tamen habet lib. XXIII. c. 1. Lugduni Batavorum 1693. « Julianus jam ter Consul, adscito in collegium Trabeae Sallustio Praefecto, per Gallias quater ipse amplissimum inierat magistratum, et videbatur novum, adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum, et Aristobulum, nullus meminerat gestum. Et licet accidentium varietatem sollicita mente praecipiens, multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret, diligentiam tamen ubique dividens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa, et interneciva certamina obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aeque est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Autroctensi, qui olim Britannias curaverat pro Praefectis. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque Provinciae Rector, metuendi globi flammarum, prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum » Julianus ipse Imperator etsi naturali modo factum illud interpretetur, ut aliqua ratione ab irrisione declinaret, rem tamen satis perspectam reddit, ut ceterorum scriptorum collatis testimoniis de miraculi veritate in eversione templi minime dubitemus. Ait enim « Quamobrem nemo nos verbis illudat, neque de « providentia nos perterrefaciat. Nam qui ista nobis objecerat Judaeo- « rum prophetae, quid de templo suo dicent, quod cum tertio sit « eversum, nondum ad hodiernum usque diem instauratur? Haec ego « non ut illis exprobrarem in medium adduxi: utpote qui templum « illud tanto intervallo a ruinis excitare voluerim in ejus honorem nu-

« minis quod ibidem invocatum est. Sed ideo commemoravi, ut osten- « derem nihil humanis in rebus immortale esse posse. » Jul. in fragmento Orationis pag. 540-41. Oper. Parisiis 1630.-Vid. Libanii testimonium apud Warburtonum in diss. quam infra indicabimus. S. Ambrosius ep. XL. ad Theodosium n. 12 pag. 349. T. II. edit. Maurinae Parisiis 1690. -loquens de templo quodam Ethnicorum jam everso et jussu Imperatoris reaedificando, sic eum alloquitur. « Non audisti « Imperator, quia cum jussisset Julianus reparari templum Hierosoly- « mis divino qui faciebant repurgium igne flagrarunt? Non caves ne « etiam nunc fiat? adeo a te non fuit jubendum, ut Julianus hoc jus- « serit ». S. Joan. Chrysostomus adversus Judaeos et Gentiles loquitur de re omnibus nota « Nam aetate nostra Imperator qui omnes « impietate superabat, et facultatem tunc dedit (*restaurandi tem-* « *plum*) et cooperatus est: opus incaepere, ac ne vel minimum ultra « progredi potuere; sed ignis a fundamentis exsiliens, omnes fugavit. « Quod autem voluerint, hoc, indicium est, quod hactenus funda- « menta nudata appareant, ut videns ipsos quidem fodere caepisse, « sed aedificare non potuisse, obsistente Christi sententia » in orat. sup. cit. pag. 580. T. I. edit. Maurinae (Montfaucon) Parisiis 1718. Clarius autem in orat. V. adv. Judaeos pag. 646. et seq. T. cit. « Si- « mul et illud fore sperabat insanus ille ac vecors (*Julianus*), ut Chri- « sti sententiam frustraretur, quae non patitur Templum illud instau- « rari. . . . Nam simulatque tentassent . . . . protinus ignis exsiliens e « fundamentis exussit multos itemque lapides eo in loco posito. . . Hujus « rei nos omnes testes sumus: nostra enim aetate haec non ita pri- « dem acciderunt ». Auctoritas S. Gregorii Nazianzeni magni facienda est, prout coaevus, et quia nec distabat ab Hierosolyma, ut Ambrosius, nec rem narrat ut Chrysostomus auditoribus jam scientibus, sed posteritati potius eam historiam tradidisse dicendus est, cum minutissima quaeque describat. « Cum autem per alia omnia (ait orat. 5. adv. Jul.) fuisset grassatus, atque omne tyrannidis in nos et crudelitatis genus, ut leve et abjectum contempsisset (nec enim ulla unquam natura ad malorum inventionem illius (*Juliani*) natura foecundior et uberior fuit) ad extremum Judaeorum quoque nationem in nos immisit. Tum veteri eorum levitate, tum inveterato nostri odio in ipsorum pectoribus clam flagrante, ad id quod moliebatur perficiendum, adjutoribus usus ipsis, nimirum in patriam redire, ac templum instaurare, patriorumque rituum vigorem renovare, ex ipsorum scilicet

libris, et arcanis fatale esse affirmans, ac benevolentiae specie commentum hoc occultans. Postquam autem haec in animum induxit, ipsisque persuasit (facile enim impostura facit quidquid delectat) illi quidem ad Templi extructionem se comparare, atque in id opus, et manu multa, et animi alacritate ac labore incumbere. Illud enim narrant, qui eorum res admirantur, uxores quoque ipsorum non modo matronalem omnem mundum, corporisque ornatum, prompto animo detraxisse, atque in operis structuram, laborantiumque opem contulisse; verum eo quoque animo fuisse, ut terram sinu efferentes, ac nec vestibus praeclaris, et exquisitis, nec teneris membris parcentes, pietatis officio se se fungi existimarent, omniaque hoc conatu inferiora ducerent. Ut vero saevo turbine, ac repentina aestuantis terrae agitatione simul una repulsi, ad propinquum quoddam templum perrexerunt, alii orationis causa, alii, ut in hujusmodi rebus accidere solet, eo quod offerebatur, ad periculi propulsationem utentes, alii cum tumultu una proruentes, ac cum currentibus simul illabentes. Sunt qui eos ne a Templo quidem admissos fuisse commemorent; sed cum ad apertas fores accessissent, repente easdem clausas pessuloque obductas, offendisse, potentia quadam invisibili, quae ad impiorum terrorem, ac piorum incolumitatem, hujusmodi prodigia efficit. Hoc autem uno jam ore omnes referunt, ac pro certo habent, quod eos summa vi atque contentione ingressum sibi aperire conantes, ignis e Templo occurrens inhibuit, et alios quidem exussit, et absumpsit (ut simile quiddam ipsis quod Sodomitis acciderit, aut etiam quod Nadabe et Abjud, qui inusitato more et thus adoleverunt, et oppressi sunt); alios vero praecipuis corporis partibus truncatos vivam columnam divinae adversus peccatores comminationis, et motionis reliquit. Atque hoc quidem ad hunc modum se habuit, nec fidem quisquam deroget, nisi qui eadem ratione aliis quoque Dei miraculis nullam fidem habendam putet. Quod autem hoc etiam mirabilius, clariusque fuit, lux in coelo stetit, crucem in orbem describens, ac nomen illud, et figura, quae in terra prius impiis contemptui fuerat, in coelo nunc omnibus ex aequo offenditur, Deoque victoriae adversus impios trophaeum efficitur, trophaeo omni sublimius et praestantius.... Proferant nunc quoque vestes suas, qui hujus miraculi spectatores, et conscii, extiterunt, illas inquam crucis notis tunc inustas, et consignatas. Simul enim ac quispiam, sive nostrorum, sive exterorum haec narrabat, aut narrantes audiebat, statim hoc miraculum, vel in seipso, vel in vicino suo perspiciebat, stellatus nimi-

§ IV.

Philosophorum scripta, et populares motus adversus Christianos.

—

Pacem, qnam dederat Ecclesiae Jovinianus, post

rum ipse, notisque distinctus; vel illum talem in vestimentis intuens, omnem textorii artificii elegantiam, ac summa cura elaboratam picturam, varietate superantem. « S. Greg. Nazianz. Orat. V. adversus Jul. pag. 149. et seq. postremae editionis Maurinae T. I. tantum edit. Parisiis 1778. Coaevorum auctoritati suffragantur Rufinus, Socrates, Sozomenus, et Theodoretus, quibus addenda est auctoritas Rabbini Gedaliah Ben Joseph Jechaja in hist. inscripta Schalscheleth Hakkabbala, qui saeculo sequenti ab prodigioso eventu florebat et historiam narrat ex Judaeorum scriptis desumptam « in diebus R. Channan et sociorum ejus anno circiter Orbis conditi 4349, memorant libri annalium, magnum in orbe universo fuisse terrae motum, collapsumque esse templum quod struxerant Judaei Hierosolymis praecepto Caesaris Juliani Apostatae impensis maximis. Postridie ejus die: (quo mota fuerat terra de coelo ignis multus cecidit, ita ut omnia ferramenta illius aedificii liquescerent, et comburerentur Judaei multi atque adeo innumerabiles apud Wagenseilium. *Tela ignea Satanae* sive *arcani et horribiles Judaeorum adversus Christum Deum et Christianam Religionem libri* » 1681. Qui plura cupit adeat Philostorgium, Theophanem, Orosium, Nicephorum, Zonaram, et Cedrenum. Ex his autem omnibus facile adversariorum nostrorum audacia retunditur. Videantur Wilh. Warburton – Julian, or a discourse concerning the Earthquacke and fiery eruption, wich defented that Emperors Attempt to rebuild the temple of Jerusalem Lond. 1750. haec dissertatio in gallicum sermonem conversa Parisiis edita fuit duobus tomulis an. 1754. cui titulus – Dissertation sur les trèmblemens de terre et les eruptions de feu qui firent echouer le projet formé par l'Empereur Julien de rebatir le temple de Jerusalem par M. Warburton – J. G. Lotter in hist. instaurationis templi Hierosolymitani sub Juliano Imperatore tentatae, sed divino miraculo impeditae, a dubiis J. Basnagii vindicata Lipsiae 1728. J. G. Pfeil Göttlich besiegter Julian. Gotha 1753.

Juliani occisionem (71) in bello Persico, contumeliis, injuriisque, permulti eripere nisi sunt, obsoletis et sordidis questibus vulgum implentes, contempta Deorum Numina aerumnas omnes, et barbarorum furorem in Romanum Imperium accersisse (72). Ad haec, scripta quocumque disseminata Religionis dignitatem minuebant, auctoribus Juliano, Himmerio, Libanio, Zosimo, aliisque quarti et quinti saeculi (73). Nec subsequenti defuit haec sordes a Damascio patria Damasceno, a Simplicio, Alexandro Lycopolitano, et inprimis a Proclo Constantinopolitano, cujus decem et octo vulgatissima in Christianos Epicheremata Joannes Philoponus redarguit.

(71) De morte Juliani leg. A. Neander in Ueber Kaiser Julianus u. sein Zeitalter. Ein histor. Gemälde. Leipzig 1812.

(72) Hanc calumniam ingenti clamore latam S. Augustinus immortali opere *de civitate Dei* coercuit, argumentum idem Paulo Orosio in suis historiarum libris persequendum relinquens. Ceteras calumnias etiam Salvianus confutavit. Hic autem animadvertat lector antiquissimam esse hanc calumniam, et non de novo confictam a Potterio, quem nos, quin confutemus ut alii, aspernamur.

(73) Julianus in operib. jam cit. in nostra nota (69). Himmerius in orationibus in quibus ut testatur Photius ad instar canis latenter mordentis Christianus adlatrabat. Libanius Sophista Antiochenus in orationibus et declamationibus, Zosimus in historiarum libris, quibus addendi sunt Hierocles satis ab Eusebio confutatus edito ad rem libello, de quo videatur Pearsonius in proleg. Hieroclis opusc. praemissis - Londini 1654. Eunapius in libro de vitis philosophorum et sophistarum. Q. A. Symmacus, quem refutavit Ambrosius, Olympiodorus, de quo Photius in Bibl. Cod. 53. Cf. Fabricius in Bibl. Graec. et in Bibl. Lat.

§. V.

Erumpit Ethnicorum odium in caedes Christianorum.

—

Nec probris tantummodo, et maledictis, sed crebrius etiam ferro, in extremis Romanorum provinciis, in Christianos itum est, idque potissimum ubi a nostris insigne aliquod Idolium impeteretur, vel Numinum superstitio, et futilitas cum Divina Religionis indole comparata in despectum et ludibrium traducta foret. Ingens motus Alexandriae fuit, multique Martyres facti, cum sacrae Bacchi Aedes in religionem cultumque nostrum accommodarentur: inclaruit in Oriente Sisinnius cum duobus sociis, qui a Vigilio Tridentino missus in quemdam pagum suae Dioecesis, qui Anagnia audiebat, in adstruendis Ecclesiis a Gentilibus comprehensus Martyrii laudem una cum sociis adeptus est (74).

§. VI.

Athanaricus Gothorum rex Christianos persequitur.

—

Ex Gothis antequam Arianis addicerentur permultos Martyrii decus nobilitaverat. Primus gladium eduxit Athanaricus eorum rex, qui durum admodum imperium in Gothos Christo famulantes

(74) Anno ut fertur 397. De Sisinnio habetur mentio in duobus Vigilii Epistolis inter Acta Martyrum a Ruinartio relatis pag. 609. et seq. edit. Amstelaedam. 1723.

jam exercuerat, plenus iracundia et stomacho, cum eos et Numinum detrectatores,et Romanis, quorum capitalis hostis erat, Religionis foedere conjunctos videret (75). Hujus persecutionis initium reputat Hieronymus ab anno 370. diuturniorem tamen eam fuisse reperitur ex Junio Sorano, qui cum Romano exercitui per illos fines praeesset, ad Basilium Magnum post mortem Athanasii scribebat, persecutionem nondum fuisse lenitam. Ex magna autem Martyrum multitudine Ethnicorum furori devota, pauca sane acta et nomina nobis comperta sunt, quamvis vivit adhuc in magno honore nomen Sabae, qui Musaeo flumini (76) objectus anno 372. diem suum obiit (77).

§. VII.

In Perside Sapor alter Christianorum hostis.

—

In Perside, quae implacabili odio Romanos

(75) Vid. Sozomenus Hist. Eccl. L. VI. c. 37. p. 274. T. II. edit. Cantabr. et Ruinartius sup. cit. p. 598. vid. etiam Socrates H. E. lib. IV. c. 33. p. 256. edit. alias cit. ubi Martyres sub Athanarico *Arianos* fuisse dicit, cui vero nos cum Ruinartio pag. cit. non assentimur, auctoritate innixi Basilii ep. 164. juxta edit. Maurinam alias 338. Leg. haec epist. p. 254. Opp. Parisiis 1730. Ambrosii et Augustini, quos Ruinartius indicat.

(76) Flumen Walachiae juxta Papebrochium, *Mussovo* audit apud eos incolas, alluit oppidum Rebnick, et jungitur Danubio.

(77) Est in manibus epistola Gothicae Ecclesiae ad Ecclesiam Cappadocum, et ad reliquas totius Orbis, quae de passione Sabae et de translatione sui corporis, rogante Basilio, in Cappadociam, fuse agit. Videatur haec epistola apud Ruinartium cit. p. 601. et seq. Cf. Ruinartius in historia persecutionis Vandalicae. Parisiis 1694.

aversabatur, immanis fuit, Christianorum vexatio, ignem subjiciente Sapore II. Rege; persecutio, quae quadraginta circiter annos desaeviit, eo perducta est, ut nulla cruciatuum acerbitas et diuturnitas eidem facile comparetur. Tanta vero nostrorum constantia plures nacta est promulgatores Syros, atque Chaldaeos, ut scriptum reliquit Sozomenus (78), qui postquam clarissimum Simeonis Barsabai Antistitis Seleuciae, et Ctesiphontis, et sociorum martyrium retulisset, sexdecim millia Martyrum addit insignis nominis, caeteris prae multitudine innumerabilibus, prout Persis, Syris, atque Edessenis, qui in hanc rem diligenter inquisiverunt, visum fuit (79).

§. VIII.

Isdegerdes, et Vararanes.

—

Nec Saporis interitus, qui anno contigit 380; neque Isdegerdis successoris exordia, quae Christianis arridere visa sunt, nec ipsa demum ejusce

(78) Legatur Sozomenus Hist. Eccl. Lib. II. c. 9. p. 56. et seqq. ubi minutatim haec persecutio describitur. Cf. Ruinartius quoad hanc persecutionem, et Acta S. Symeonis Ep. et alior. Martyrum in Perside p. 566. et seqq. edit. cit.

(79) Tomus prior Actorum martyrum Orientalium et Occidentalium acta quoque suppeditat Martyrum Persarum e Syriaco codice Nitriensi per Stephanum Evodium Assemanum extracta, ubi de martyrio SS. Simeonis Barsaboë Seleuciae, et Ctesiphontis Episcopi, et sociorum. Romae 1748. Vid. Joseph Simonius Assemanus in Bibl. Orient. T. I. p. 183. Romae 1719.

conversionis concitata spes Religionem nostram novis vulneribus immunem reddidere. Recruduerunt enim vulnera (80): siquidem Isdegerdes extremo supplicio Abdam affecit Pontificem Susae, qui zelo flagrans celeberrimum Persarum Templum solo aequaverat, et instaurare recusabat, destructis ultionis causa Christianorum Ecclesiis, et fidelibus saevo alio turbine dejectis. Hunc vivis ereptum Vararanes filius excepit, qui nedum paternam crudelitatem desereret, longe potius superavit (81). Hinc multi e periculo in Romanas provincias Theodosio subditas evasere: hinc irritamen durissimi belli inter Romanos, et Persas, novaque aerumnarum moles Christianis in Perside incolis, bellicae injuriae et asperitates in eosdem retortae. Nec tandem Christianos juvit pax Vararanis ab exercitu Romanorum ea conditione impetrata, ut persecutioni finem daret; violavit enim quam impudentissime pacis foedera, nec caedibus ad extremum vitae spiritum pepercit.

§. IX.

Reliqui Persarum Reges.

—

Nihil solatii Isdegerdes secundus Vararanis filius, Pherozes, et Cabades fidelibus attulere. Quoties

(80) Sub finem anni 418.

(81) Vid. Socrates H. E. Lib. VI. cit. p. 353. et seq. edit. cit. et Steph. Evodius Assemanus ad Acta MM. Orient. et Occid. sup. cit. T. I. p. 211. et seqq. nec non Joseph Simonius Assemanus Bibl. Orient. T. 2. p. 401. et seqq. Romae 1721.

enim inter Romanos et Persas contentio orta esset, Persarum Reges a subjectis Christianis per summum nefas paenas repetere consueverant, causati conspirationem cum hostibus adversus Rempublicam. Ita Christiani dura semper fortuna conflictabantur; nec minus iniqua saeculi septimi exordia eisdem fuere, nec minus crudelia exempla, quae edidit Chosroes, secundus Nestorianorum patronus, et fidelium per minas et vim expugnator. Asia direpta, civitates servitute oppressae, Romanorum copiae ob diuturnitatem belli imminutae, Palaestina vastata et exinanita, hominis libidinem nedum explerent eo potius inflammarunt, ut, capto Hierosolymis ingenti Clericorum et Monachorum, aliorumque utriusque sexus numero, tum suis, tum Judaeorum manibus innoxiam multitudinem trucidaret. Zachariam Patriarcham in captivitatem abduxit, salutarem Christi Domini Crucem victoriae praedam fecit an. 1614. et in Persidem transtulit, annoque insequenti Egypti, Alexandriae, ac Lybiae usque ad Ethiopiam potitus novis ibidem cladibus rem Christianam afflixit (82).

(82) Pessime autem res suas egit Chosroes cum Heraclio pacem postulanti insanam de Christo a Romanis ejurando, Soleque colendo statuit conditionem: evectus enim nefaria temeritate, et insueto quodam motu excitatus Imperator detestabile opprobrium a Deo deprecans ad arma, queis non mediocriter valebat, recurrit, nec ab eis per sexennium destitit, donec Persidem recuperavit et Chosroem fregit, regno postmodum, et luce a filio Siroe privatum. Hic vero, pace cum Romanis inita, captivos libertati dedit, crucemque sanctam restituit,

§. X.

Motus Judaeorum in Christianos.

Judaeos quoque vel Romanos subditos, vel alienigenas contra Christianos, qua data copia, insurrexisse legimus, in quos crudeliter adeo se gessit Gamaliel Judaeorum Patriarcha, magnaque auctoritate praeditus, ut peculiari Edicto a Theodosio Juniore anno 415. cohibitus sit. At multo duriore fortuna usi sunt nostri in Homeritide initio sexti saeculi. Dimio siquidem Judaeus, earum gentium Rex, ut injurias (hanc causam dicebat) ulcisceretur, quae Judaeis in Romanorum ditione obvenerant, de innumeris Christianis neque aetati parcens, nec sexui, vel miserrima vel extrema supplicia sumebat, donec qui supremum fidelibus diem intentabat ab Elesbaane Aethiopum Rege subactus, de suo, suorumque Judaeorum excidio poenas luit. Post Elesbaani excessum Hellestaeus, qui paternam pietatem cum regno acceperat, Judaicam repressit audaciam, quae licet saeculo septimo in orientalibus plagis Syria praesertim et Palaestina effrenate irrupisset, brevi tamen prostrata et perculsa est (83).

quam sequenti anno, scilicet 629. Heraclius Hierosolymas transtulit, Judaeis ultra tertium ab urbe lapidem ejectis. Vid. Procopius de bello Persico l. 2. c. 26. Cf. Zaccaria in dict. H. E. v. Heraclius p. 84. Venet. 1793.

(83) Vid. J. S. Assemanus in diss. de Syris Nestorianis pag. DC. et seqq. T. IV. Bibl. Orient Jo. Henricus Hottingerus hist. Orient. lib. 1. c. 3.

§. XI.

Calamitates Christianorum ab irruentibus Barbaris.

Nec minus molesti Christianis extiterunt Barbari Romanas Provincias jam a quinto saeculo adorti quippe qui Christum abhorrerent, et in superstitionis caeno demersi essent. Ad haec, jactata Ecclesiae conditio in Britannia, quam Anglo-Saxones diuturno 130. annorum bello, varia semper et ancipiti fortuna, exagitarunt: (84) afflicta rursus in Italia a Langobardis sexto et septimo saeculo, octavo autem in Germania, et apud finitimos: ita florentissimas regiones invadentes, rem quoque Ecclesiae publicam invadebant, et quos inhumanis moribus pollerent, eosdem quoque per minas et caedes de avita pietate exturbabant. Castella passim extructa, munitae arces, queis fidelibus perfugium, et contra Barbaros essent praesidium.

§. XII.

A Vandalis.

Vandali Arianorum congreges, et Ecclesiae osores, Africa hostiliter occupata, vix credibile est, quot feritatis exempla saeculo quinto in nostros

(84) Vidd. Beda in Hist. Eccl. lib. 1. c. 15, et Usserius in antiq. Brit. c. 12.

praebuerint, et Victorem Vitensem legentibus (85) qui malorum iliadem conscripsit, et cujus pars magna fuit, clare patebit, quae, et quanta a Vandalorum Regibus Genserico, Hunnerico, et Trasimundo verae Religionis asseclae perpessi fuerint. Sint pro omnibus quae induci possent, ab obsidione Hipponensi, quae anno 430. caepit sub Genserico, ad annum usque 523. qui ultimus fuit Trasimundo. Nullum aerumnarum levamen intercessisse. Trasimundus autem inveteratum contra Religionem odium in extremo spiritu non amisit, sed Hildericum, Hunnerici filium, (cui regnum ex successione obtingebat) jurejurando obstrinxit, ne traditum imperium nostris aequum esse sineret; qui vero improbam hominis spem citius quam sacramenti fidem frustrans, antequam regni habenas sumpsisset, vexatoriis edictis sublatis, ad quietem miseriarum Christianum populum revocavit (86).

§. XIII.

Mahumedes.

—

Ad haec tam magna Christianae Reipublicae incommoda cumulum addidit Mahumedes, quem, dum Romae imperitaret Heraclius anno 612., novae sectae, novae dominationis conflandae libido

(85) De persecutione Vand.

(86) Leg. Ruinartius in hist. persecutionis Vandalicae jam cit. in nostra nota (77.)

invasit. Praeclarus Coraitarum genere ortus, ingenio acri, et facundiae confisus, potius quam litterarum scientiae, quae nulla in eo erat, se se Judaicae, Arabicae, Christianaeque Religionis eversorem divinitus datum jactabat, moltosque in suos errores illexit, et in disciplinam pertraxit: quo tamen ausu in nullam apertam offensionem incurrit, nisi postquam Numinibus Meccanorum maledicta, eorumque cultoribus notam impietatis objicere caepit. Aculeo veluti puncti Meccani novatorem persequi, et senatus consulto perdere constituerunt: qui vero periculum, poenamque subterfugiens, Medinaeque receptus, Prophetae nomen, et honorem, ibidem nactus est (87). Ita ut, debellatis propinquis populis, novam debellatione religionem constituit.

§. XIV.

Illius Secta.

—

Eodem aestu praedatoriae propagationis ferven-

(87) Ab eo circiter tempore exorditur aera Mahumedanorum, quae Hegira apud eos audit, et unde annos reputare solent, ab anno scilicet p. m. aerae vulg. 621. Ex tunc ingenti asseclarum manu Medinae praesertim undique coacta in castris et armis omnem Religionis suae fortunam posuit Mahumetus, eaque tam feliciter usus est, ut prostratis hostibus in Arabia, vicinisque provinciis, aucto in dies suorum numero, in loca quaelibet immanem terrorem rejiciens anno aer. vulg. 632. Hegirae 11. quo vitam cum morte commutavit de tota Arabia, proximisque regionibus subjectis gloriaretur. Vid. de vita et rebus, gestis a Muhamete Lodovicus Maraccius in Prodormo ad refutationem Alcorani etc. . . . p. 10. et seq. T. I. Patavii 1798.

tes defuncti Mahumedis successores Abubekar, et Omar (88), durum imperii, durum religionis jugum Palaestinae, Syriae, et Aegypto, per vim et ferrum imposuere. Elatis ob tam secundam belli fortunam animis, Arabes anno 643., quo vita excessit Omar, fracto et occiso Isdegerde (89), Persarum regnum vigintisex annorum supra quadringentos diuturnitate firmatum, et orbis dominationem vario marte adversus Romanos competens deleverunt. Hinc in Graecorum fines progressi, pluribusque captis provinciis, urbem imperii sedem, regnante Pogonato (90), et Leone Isaurico, iterum obsidione cingere; unde ad Africam accedentes, dirutaque anno 697. Carthagine, potestatem, quam ibidem Romani per annos 850. exercuerant, obsederunt. Et dum grassabantur in maxima Indiae parte, quae citra Gangem posita est, eorum impetum retardare non poterantin Europa occiduae provinciae, trajecto nempe mari, quod Hispaniam separat ab Africa, devicto et necato anno 712. Roderico Rege, regnoque Visigothorum in Hispania everso, nulloque demum a Pirenaeis montibus, atque injuriis obstaculo. Nec mora: flamma etenim jamdiu serpens, quae uno repente incendio omnia haurire minabatur, in Gallias effusa, plurima finitimaque etiam loca, furens non minus

(88) Vel Osman aut Othman.

(89) Hujus nominis tertio, et Regum Persarum postremo.

(90) Constantino Pogonato.

quam rapax, devastavit, consumpsissetque profecto, et ulterius populata foret, nisi Carolus Martellus, et Eudo Aquitaniae Dux eam cohibuissent. Hoc praestiterunt equidem insigni de Mahumedanis triumpho, congressi apud Pictavos, innumeramque multitudinem caede et occisione prosequuti: tunc nostrorum recepti, depressi sunt e contra in Galliis inimicorum spiritus: Animi additi a Carolo Magno, qui anno 778. Hispaniam copiis suis a barbaris liberandam dedit, licet exitus praeconceptae spei non plane consenserit (91).

(91) Islamismi et Mahumetismi propagatio armorum fortunam sequebatur. Videatur Joannes Mariana in Hist. de Rebus hispaniae T. I. p. 243. et seq. Capp. XXII. XXIII. Hagae Comitum 1733. Mahumetanae doctrinae praecipua placita sunt. Unum esse Deum effectorem, et moderatorem mundi, sanctum et munificum, summo obsequio adorandum, nullius genitorem, qui prophetas Religionis doctores in terram dimiserit, eorumque praestantissimum Christum Maria virgine ortum: corrupta autem per mala hominum ingenia et depravata religione, Mahumetem divino consilio datum esse, qui eam in pristinam dignitatem, et veterem splendorem restitueret. Praeterea omnem naturam docuit Mahumetus, Principis Dei nutu, et providentia administrari, ita tamen ut omnia quae sint futura, vel fiant, in irrevocabili fato contineantur: mortalium corpora in resurrectionem esse excitanda: qui vitam scelere inquinaverint aeternis suppliciis; qui illabefactam indeficienti gaudio afficiendi, imo Paradisum, libidinosam, et voluptuosissimam mansionem assecuturi: quod autem praemium jugibus precibus, jejuniis, abstinentia vini, carnis suillae et morticinae, profusa in egenos liberalitate crebris, ad Meccanum Templum, quod ab Abraham erectum fabulabantur, peregrinationibus, aliisque laboribus pararetur. Haec omnia in libro consignata, quem *Koranum* vel *Alcoranum* dicunt, a Gabriele Archangelo accepta referunt Moslemi, qui hanc fidem, et cum fide circumcisionem susceperunt, hocque in causa est, cur tam stulta credulitate capti, stultiorem sequantur superstitionem.

§. XV.

Dissidia inter Mahumedanos.

Nil antiquius, ac frequentius sectariis quam haereses, et schismata, Christianis objicere; nil tamen experientia firmius quam discordes eorum motus, et aestus, cum ipsa veritatis defectio aut belli classicum, aut discordiae malum dici possit. Hanc notam a Mahumede in Korano, et Libris Mahumedanorum nobis impactam, optimo iidem jure in calumniatores rejicimus. Quis enim ignorat, quis ex ipsis fateri non cogitur, extincto vix Mahumede, seditiones et dissidia orta esse? Quadrifariam divisi sunt, Kadritae, Saphanitae, Charegitae, et Sciatitae, et rursus ab unoquoque capite in varia itum est. Prima eorum species attributa Dei, et quae de Deo explorata sunt spectabat, dissidentesque comprehendebat Motazelitas, Osciaritas, Karamitas, et Mogiasemitas: altera voluntatem Dei contemplabatur, et principia, unde res bene malaeque hominum gesta proficiscuntur, abstractis hic in diversa Kadritis, Gebaritis, Assiaritis, et Karamitis: tertia agebat de fide, et poenitentia, de promissionibus, minis, divinisque auxiliis, contendentibus inter se Motazelitis, Karamitis, Morgitis, et Vaiditis: postrema versabatur in morali et Ecclesiastica disciplina, et in conditionibus Pontificalis dignitatis, quam nonnulli peculiaribus familiis,

alii vero omnibus patere existimabant. Quae autem causa vix a Mahumedis interitu in disceptationem versa est, cum Abubekar socer, et Aly Mahumedis gener de summi imperii jure acriter decertarent: hinc etiam producta in posterum lite, in duas factiones partiti sunt Mahumedani, Sonnitas et Schiitas: altera habet Tartaros Arabes universos, et innumeram multitudinem; altera Persas, acerbo utrinque odio, dirisque detestationibus (92).

§. XVI.

Progressae superstitionis causa.

Nec obscura, vel alte repetenda videtur ratio cur novissimi legislatoris fatum tam longe lateque invaluerit. Plurimi namque mortales, injecto armorum terrore, subscribere compulsi sunt, capitali poena renuentibus constituta, dempto animadvertendae, vel discutiendae legis arbitrio. Ingruebant in dies mala, quin Graecorum opes aut modum, aut finem insolentis audaciae in se recipere possent, neque poterat Asia, quae non Graecis, et Romanis subdita, sed barbarorum copiis polluebatur: totam fere Thraces, Illyrici, Isauri, Armeni, Persae, Scythae, Sarmatae, Bulgari, et Rutheni permiscebant, non patriae charitatem, non Religionis decus, non ipsum denique imperii genus, an Arabum esset,

(92) Videatur de variis Mahumetanorum sectis Maraccius sup. cit. part. 3. Prodromi. c. 24. et seq.

an Graecorum, pensitantes. Ad haec, consumptae imperii opes, domesticae seditiones, civilia castra, vehementissimae de sacris Iconibus contentiones, quas Leo Isauricus, et Copronymus deinde fovebant, incredibile memoratu est, quantum attriverint Rempublicam, et vastatoriis per Asiam, et Affricam, Saracenorum incursionibus diripiendam objiecerint. Quae autem Christianorum in varias sectas distractio! quae turbae! qui tumultus ab Arianis, Nestorianis, Eutychianis, et Monophysitis! hi se se invicem lacerantes, communi tamen odio in Catholicos ferebantur; quinimo Arabum violentiam et furorem explanata ad quasdam Provincias via, in eorum capita advocabant. Summa demum obscuritas et ignorantia, in qua Arabes, Syri, et caeteri orientales versabantur, faciles dabat aures, dociles animos doctrinae et indoli, et praejudicatis opinionibus accommodatae, quae pauca quidem fidei, nec multa, aut ardua moribus daret, multa humanis cupiditatibus indulgeret, Polygamiam in hoc saeculo, postea vero Paradisum, Elysiam veluti sedem, omnibus deliciis perfusum impertiretur. Quare mirandum non est, si tanto armorum apparatu, tanta blanditia, quasi sensuum titillatione, magna per orbem terrarum Mahumedanae superstitionis propagatio facta sit (93).

(93) Vidd. praeter Maracciunı sup. cit. Abulfeda de vita et rebus gestis Mohammedis arabice, et latine curante Gagnier-Oxonii 1723.

M. Gagnier - Histoire de Mahomet, tirée des Auteurs Arabes. Amsterdam 1730. Gregorius Abulfarajus in Historia compendiosa Dynastiarum arabice, et latine ab Edward Pocokio cum supplemento ad nostra tempora. Oxonii 1663. Euthymii, Zigabeni Saracenica, sive Moamethica ex Euthymii Zigabeni Panoplia, ex historia Moamethica incerti authoris, ex Theophanis et Anastasii libris de Moamethicae sectae primordiis, uti etiam Cathechesis Saracenorum Gr. et Lat. opera et cum notis Frid. Sylburgii, item Joh. Jacobi Beureri rerum Saracenicarum Synopsis. Heidelbergae Commelin 1595. aliique.

INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

D. PAULI DELSIGNORE

CAN. REG. LAT.

INSTITUTIONES
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

QUAS

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

ILLUSTRAVIT

D. VINCENTIUS TIZZANI

EJUSD. CONGR.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
HISTORIAE ECCL. DOCTOR DECURIALIS
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS

PERIODUS ALTERA

A CONSTANTINO MAGNO AD CAROLUM M.

PARS II. INTERIOR

ROMÆ
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
ET FRANCISCI FILII
1838

INSTITUTIONUM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.

PERIODUS ALTERA

A CONSTANTINO M. AD CAROLUM M.

PARS INTERIOR

CAPUT PRIMUM

de Regimine Ecclesiae et Ecclesiastica Hierarchia.

§. I.

Jus ferendi leges.

Pax Ecclesiae ab Imperatoribus impertita omnem ei tribuebat copiam ferendarum legum, sive ad Fidei dogmata, sive ad disciplinam pertinentium, quarum apicem ullum praeterire, aut contemnere, fidelibus absque piaculo non esset. Etenim non insuetum modo, sed in omni vetustatis memoria inauditum fuit, Ecclesiae constituta a subditorum consensu vim suam mutuari, perindeque civilibus Edictis postponi, in quibus nulla a supremis reipublicae moderatoribus facultas relinquitur populo, censoria virgula eadem notandi, vel explicandi. Hoc potius clarissimis Principibus acceptum retu-

limus, ut, qui Ecclesiae filii, non Antistites se existimabant, gladium in disciplinae tutelam eduxerint, et quos sacra auctoritas non retinebat, civile imperium coerceret. Quod praesertim in Conciliis ostensum est, et ubi de Hierarchia Ecclesiastica ageretur, de forma electionum, et judiciorum ratione, aliisque similibus, quibus Laici adesse quidem potuerunt, immisceri non potuerunt (1).

(1) Commentitia sane, et retro saeculis ignota, ea Ecclesiae distinctio censenda est, quam nonnulli tribuunt Constantino, quasi externam, et internam putaverit, eamque sibi, hanc vero Episcopis regendam dederit. Obruimur testium copia, qui jus omne laicis in publicam externamque sanctae Ecclesiae disciplinam et proprium, et unquam impertitum esse inficiantur, cumque testimonia sint Patrum, et quod multum movere nos debet, etiam Imperatorum, huc adversarios fidenter provocamus: Consulant, si ita lubet, evolvant leges Imperatorias, nec tamen pro saeculari in Ecclesiasticam disciplinam potestate, quod undique clamitant evincere poterunt. Evincitur, ita vivam, eorum improbitas ex perspicuis Principum verbis, quibus nil certe arroganter, sed hoc unum sibi praestituerant, ut quae ab Episcopis vel minis, vel censoria nota intenderentur de auctoritate sua firmanda, et excipienda curarent. Nil hac in re insolens, et adversus Canonicam legislationem, nihil ab Episcopis demum vel incompertum, vel inexoratum Principes susceperunt ad refractarios Ecclesiae puniendos, neque in Basilicis, in codicibus Theodosiano et Justinianeo, in Novellis, Epistolis, et Digestis, Ecclesiae quidquam contra praescripta nisi sunt, et si quando eousque itum sit, restitit tamen Ecclesia, et saecularia decreta vel per desuetudinem, vel per sinceram Principum retractationem abrogata, nihil momenti habuerunt. Legantur ea quae protulerunt Athanasius, Hosius Cordubensis, Liberius, Luciferus Calaritanus Hilarius Pictaviensis ad Constantium, Gregorius Nazianzenus ad Alipium et fratrem ejus, Ambrosius tandem, Felix II. alias III., Gelasius, Isidorus Hispalensis, Joannes Damascenus, aliique. Cff. nostra nota (14.) pag. 8. partis exterioris primae Periodi, et auctor dissertationis Italicae inscriptae *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare, ma sì a Dio rendete quel*

§. II.

Episcopalis Jurisdictionis limites.

Quamvis auctoritas Episcopalis e Divina institutione deducta sit, et immutabilitatem Divini juris teneat, duo tamen erant, quae robur suum non expresse a Christi institutione, sed potius ab Ecclesiae Moderatoribus acciperent, designatio scilicet et distinctio Dioeceseon, et exercitium Episcopalium facultatum. Primum in Jure Ecclesiastico contineri nullus inficias ibit, qui Canones Conciliorum, et Magnae praesertim Nicaenae Synodi, et

che è di Dio, o sia *dissertazione sulla Podestà regolatrice della disciplina. Faenza* 1788. nec non *Bianchi della potestà e della politia della Chiesa* T. IV. capp. 3. 4. pag. 387. et seq. et 580. et seq. Roma 1746. Zaccaria in Anti-Febr. vindicato. T. I. diss. 2. c. 1. p. 118. Caesenae 1771. Optime ad rem T. VII. operis - Recuéil des Actes, Titres et Memoires concernant les Affaires du clergé de France pag. 397. et seqq. A Paris 1769. - c'est une doctrine reçue de tous les Catholiques, que des loix sur des matieres purement ecclesiastiques. . . . dependent uniquement de la puissance spirituelle; et que si les souverains interponent leur autorité pour regler ces matiers, et en prendre connoissance, ce ne peut etre que comme protecteurs des saints decrets POUR LES FAIRE EXECUTER DANS LEURS ETATS - et paulo post - si Dieu ordonne aux Souverains de proteger l'Eglise, c'est pour maintenir sa jurisdiction, ET NON POUR LA DÉTRUIRE - Cff. etiam opus anonimum (opus Abbatis Pey) cui titulus - de l'autorité des deux puissances - Strasbourg 1781. T. III. p. 413. Antonius Charlas in tractatu de libertatibus Eccl. Gall. Lib. V. p. 303. et seqq. T. I. Romae 1720. et Mamachius Orig. etc. lib IV. p. 124. et seq., et Zaccaria in op. - *Comandi chi può ubbidisca chi dee - Faenza* 1788. p. 67.

Primae Constantinopolitanae vel elimine salutaverit (2). Monstrifera sunt autem nonnullorum ingenia, quae jus Episcopale ita excogitant, ut singularium Dioeceseon fines transgrediens in alienum, imo vero in universum Christianorum gregem patere debeat; confirmari videntur in ejusmodi absurdo exemplis quorundam Episcoporum, alienam provinciam, vel generale Ecclesiae regimen attingentium. At larva omnis, omnis scrupulus, atque oscitatio evanescet, si Episcopalis muneris partes, si charitas, quae Pastorale officium quodlibet informat, alia demum quae fraternitatis vinculum nedum exsolvant, mirum in modum constringunt vacuis prae occupatione mentibus obversentur (3).

(2) Can. 6. Nicaen. col. 35. T. II. Labbei et can. 5. CP. col. 1138. T. cit. Venetiis 1728. Vid. Gerdil. in *Confutazione di due libelli diretti contro il Breve* SUPER SOLIDITATE 1789 vol. 1. p. 11. et seq.

(3) Cf. Zaccaria in Anti-Febronio diss. 2. c. 7. p. 170. Pesaro 1767. et Parte 2. lib. 4. c. 5. p. 389. et in Anti-Febronio vindicato T. I. diss. 3. c. 5. p. 501. Quod de disciplina, et de jurisdictione Ecclesiastica dictum est, referimus potiori jure ad controversias fidei. Quare S. Petrus Chrysologus ab Eutychete rogatus in rebus ad fidem pertinentibus rescripsit, pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae Civitatis Episcopi, caussas fidei dijudicari non posse. Vidd. Petrus Ballerinius de potestate Ecclesiast. Summor. Pontif. c. 1. §. v. pag. 16. Veronae 1768. et Zaccaria in Anti-Febronio T. II. lib. 5. c. 1. jam cit. et in Anti-Febronio vindicato Tom. 1. diss. 3. c. 4. p. 461., nec non Gerdilius in opusculis ad Hierarchicam Ecclesiae Constitutionem spectant. Romae 1789. p. 131. et seqq.

§. III.

Episcoporum jurisdictio a Romanis Pontificibus coercita.

—

Ecclesiasticam historiam minime consuluit, qui innumera ignoret Pontificum ad Episcoporum jurisdictionem circumscribendam statuta. Quem enim praeterit, Siricium Ecclesiae Antistitem ejusmodi potestatem exercuisse in poenarias actiones, quas Episcopi peccatoribus inferre consueverant (4)? Quem fugit, Innocentium Primum, ut Exuperio Tolosano Episcopo annueret, mitigata paulisper veteri disciplina, quibusdam poenitentibus (5) in extremo spiritu Communionem decrevisse, unde quae Episcopi non pauci praeceperant, ipse de sua auctoritate firmavit? Adde frequentes mitigationes, quibus, Africa praesertim reclamante, Episcopalium judiciorum severitas lenita est, et omnem de hac re scrupulum et dubitationem expelles. (6).

§. IV.

Romanae Ecclesiae praestantia.

—

Fuit hoc moris a prioribus Ecclesiae saeculis non intermissi, ut causae ad illam pertinentes Apo-

(4) Vidd. decreta Siricii ad Himerium Tarraconensem missa, ut servarentur, ap. Labb.

(5) Iis, qui post baptismum omni tempore incontinentiae vacabant.

(6) Vid. Zaccaria in Anti-Febronio vindic. diss. 3. c. 4. p. 461.

stolicae Sedi deferrentur, ratione potissimum habita caussarum fidei, quae idcirco supremo juri Romani Antistitis reservabantur. Nemini ignotae sunt in Pelagianorum controversiis tres Epistolae ad Innocentium hujusce nominis primum, quarum binas Carthaginiense et Milevitanum Concilia, tertiam Africani dedere Episcopi, Romani Capitis judicium et auctoritatem contra aberrantes Pelagium et Coelestium efflagitanda (7): Quid clarius testimonium hujusce praestantiae, quam fideles unanimiter revererentur, judiciariae potestatis, quam timerent? Hanc agnoscens, hanc reverentissime excipiens Augustinus, Pelagianorum concertator, vix audita dogmatica Innocentii responsione, omnes ad silentium adigere hisce conceptis verbis satagebat; Inde rescripta venerunt = causa finita est = (8).

(7) Duae autem ibidem causae hujusce rei dignoscuntur, altera ut ex Romanae sedis responso appareret quaenam fuerit Apostolicae sedis fides, altera ut Romanae Cathedrae auctoritate, et judicio compesceretur error, unde Irenaeus ad Romanam Ecclesiam ajebat propter potiorem principalitatem necesse esse, omnem Ecclesiam convenire. Cf. Zaccaria in Anti-Febronio Parte 2. lib. 1. capp. 1. 2. et 3.

(8) Praet. cit. Zacc. vid. Petrus Ballerinius in op. *de vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum*: Veronae 1766. c. XIII. §. IX. p. 152. et seqq. et Gerdilius in opusculis cit. ad Hier. Eccl. const. spect. p. 58. et seqq.

§. V.
Ab Oecumenicis Conciliis honore habita.

Tumultus ac lites in patrocinium errorum, queis Apostolicum stigma imprimeretur, novam seditiosis et pervicacibus infamiam, novum e contra splendorem Supremae Sedi intulere; siquidem Pontificum decreta ab Oecumenicis etiam Conciliis mira consensione suscepta, dissentientes vero pro haereticis et rebellibus improbati. Digna sunt ut in omne aevum celebrentur quae Flavianus Antistes Constantinopolitanus scripsit ad Leonem, sententiam rogans, ad retundendum Eutychetem, Fideique unitatem vindicandam (9): neque minus memoranda Leonis Epistola ad Flavianum in eundem haereticum, quae tanto honore tantaque veneratione a Patribus Chalcedonensibus excepta est, ut ex ore Leonis Spiritus Sancti eloquium exiisse undique inclamatum fuerit. Haud impares obsequii significationes, quas in praesentia omittere praestat, Romanae Cathedrae dignitatem sunt prosecutae (10).

(9) Videatur apud Ballerinios in opp. S. Leonis T. I. pag. 790. Venetiis 1753.

(10) Vidd. epist. Leonis 89. al. 69. pag. 1060. cit. edit. T. I. p. 82. al 62. pag. 1043. epist. 90. al 73. c. 2. p. 1064. ep. 93. al 72. c. 2. pag. 1071. et ep. 94. al 74. p. 1075. et ep. 120. al 93. cap. 1. p. 1218. edit. Baller. Cff. laud. Baller. ad not. 14. in eamd. ep. 120. et in libro *de vi ac ratione Primatus Rom. Pont.* c. XIII. §. 13. et in adnotat. 22. ad diss. 1. Quesnelli T. 2. opp. S. Leonis M., nec non Orsius in op.

§. VI.

In rebus quoque disciplinaribus.

Per illa etiam, quae erant disciplinae, supereminens haec Romanorum Pontificum potestas pertingebat, et viguisse etiam in disciplinis a Generalibus Conciliis latis, et quovis pacto statutis, admisit probavitque Chalcedonensis Synodus. Accepit reapse, et tamquam Episcopum habuit eadem Synodus Maximum Antiochenum, ut Apostolicae Sedi adnueret, quae hominem injuria ordinatum e Canonum nexibus solvit (11). Ejusdem Cathedrae judicio, atque assensu, dum caruit celebris Canon Chalcedonensis, qui totus erat in praerogativis Constantinopolitanae Ecclesiae adstruendis, nullum momentum facere potuit, et de sua infirmitate vim decretoriae summaeque auctoritatis declaravit. Et Canonem illum manare sine capite unanimiter crediderunt Patres Chalcedonenses, et Imperator, et Anatolius Constantinopolitanae Praesul Ecclesiae quandoquidem Leonis Magni sanctionem supplicibus litteris arcessiverint. (12).

de Romani Pontificis in Synodos OEcumenicas potestate. Romae 1740. T. 1. et Zaccaria in Anti-Febronio Par. 2. lib. 4. c. n. 4. et seqq.

(11) Vidd. Ballerinii in observat. ad diss. IX. Quesnelli T. II. opp. S. Leonis M. Alia exempla, si vis, adi Zaccariam in Anti-Febronio vindicato diss. 6.

(12) Vid. laud. Baller. *de potestate Ecclesiastica summorum Pontificum et Conciliorum Generalium adversus Justinum Febronium.*

§. VII.

Origo Sedium Patriarchalium.

—

Quasdam jam inde a propagata Evangelii doctrina extitisse Sedes Episcopales aliis potiores, dubio caret. Dum institutionem Antistitum, ut vocari consueverunt, Metropolitanorum quidam ab Apostolis, quidam vero a posteriori aetate revocant, nos medii esse volumus, et aliquas tantum Pontificias Sedes in matrice Provinciarum urbe positas metropolitano nomine ac dignitate fuisse annorum spatio exornatas arbitramur. Ceterum etsi de Patriarchis altum ante saeculum quartum silentium fuerit, plures tamen Episcopos ampliori jurisdictione, et prostasia quadam, exstitisse constat (13), Romanum praesertim, Alexandrinum, et Antiochenum, quorum Ecclesiae Patriarchales factae. Principem locum sortita est Roma, in qua Petrus Protoapostolus; alterum Alexandria a Marco, Petri discipulo; tertium denique Antiochia, ubi sedit Petrus an-

c. IV. Veronae 1768. Haec omnia magis etiam confirmari possunt, si consideres apud latinos praesertim Romanos antiquitus in usu non fuisse nec canones Gangrenses, nec Antiochenos, nec Constantinopolitanos, ut apud Graecos, sed tantum Nicaenos, aut Sardicenses. Alios autem graecorum Conciliorum canones, quamvis versionibus satis latinis notos, ii tamen serius allegare coeperunt, saeculo nempe VI. Vidd. laud. Ballerinii in diss. de antiquis collectionibus et collectoribus canonum par. 2. c. 1. §. 1. et 2. pag. LI. Tom. III. opp. S. Leonis M. Venetiis 1757.

(13) Vid. Epiph. Haer. 69. n. 5. ubi de Meletio in causa Arii.

tequam iret Romam, et nomen Christianae Religioni primo inditum (14).

§. VIII.

Trium Sedium Patriarchalium fines.

Provincias quatuor, Aegyptum, Thebaidem, Pentapolim, et Lybiam Patriarchae Alexandrino obtemperasse, tum ex sexto Canone Nicaeno, tum ex Synodo Alexandrina anni 339. edocemur: regiones autem eidem Episcopo creditae, post auctum Patriarcharum numerum, indigitantur a Tabella Geographica ad calcem Ecclesiasticae Historiae Eusebii, editore Valesio. Ea pars Orientalis plagae, quae a Praetorio Orientis regebatur, Antiocheno Patriarchae subdita erat, et in Provincias quindecim dispertita: Praesul Antiochenus Orientalis Dioecesis Exarcha, urbs ipsa orientalium urbium mater, et caput, nuncupabatur (15). In Occidente autem Pa-

(14) Patriarchae nomen Christiani usurparunt ab natione Judaica. Ante quartum saeculum Romanus, Alexandrinus, et Antiochenus Episcopi Patriarchali dignitate, sub alio nomine, fulgebant; vocabantur enim Εξαρχοι, 'Αρχιεπισκοποι, ut in Can. VI. Sard. Semper autem Romanis Antistitis praestantiam super alios, veteres agnoverunt, unde Patres Chalcedonenses Leonem I. R. P. salutarunt totius Ecclesiae Patriarcham. Vid. T. II. Conc. Hard. col. 257. et 321.

(15) In exemplum divisionis Imperii Romani sponte sua facta est Ecclesiae divisio. Majores enim Metropolitae Exarchi, et minores Metropolitae respondere videntur Praefectis Praetorio, Vicariis et Praesidibus. Vidd. exercitationes Ecclesiasticae Joannis Morini de Patriarcharum et Primatum origine. Lutet. Paris. 1626.

triarchis omnibus longe praeeminebat Romanus Episcopus, quem proinde Basilius Orientalium Coriphaeum, Augustinus Occidentalium Praesidentem, pari honoris significatione salutant. Porro veritatem obscurant, vel potius adimunt, qui Patriarchali hujusce Antistitis jurisdictioni nil praeter urbem, ac decem Provincias, ut nomen erat, suburbicarias, concedunt, mentientes hoc pacto sexto Canoni Nicaeno, qui nihil habet de suburbanis Ecclesiis, et si quid habet, intertexuit arbitratu suo Rufinus (16).

(16) Ita habet can. VI. Concili Nicaeni I. « Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis » Indubium est Metropolitas Occidentales Concilii Nicaeni tempore totius dignitatis auctores Romanos Antistites agnovisse; immo omnia Romanorum Pontificum nutu in Occidente tunc temporis vertebantur, ita ut in Italia ipse Romanus Pontifex per se, extra Italiam vero per alios ab eo vicarios designatos moderabatur Ecclesias. Jus quod exercuit in convocatione Conciliorum hoc idem demonstrat, ut videre est apud citatum Morinum exercit. 20. « Jam vero si quaeratur (ait Benedictus Bacchinius Mon. Bened. in diss. *de Ecclesiasticae Hierarchìae originibus* p. 367. Mutinae 1703.) si quaeratur per Nicaenum Canonem quodnam Alexandrini, et Romani Episcopi jus conferatur, an Metropolitanum an Patriarchale; respondendum est, Metropolitanum cum Metropolitano comparari, at non Metropolitanum utcumque, sed Metropolitanum ad plures Provincias diffusum, cujus per ea tempora nullus ea plenitudine fruebatur, quae ad Romanam accederet, in Oriente praeter Alexandrinum ». Clarissime autem idem Bacchinius rationem suppeditat, cur in posterum comparatio Patriarchatus Alexandrini et Romani suboscurior facta sit. Pontifices enim Romani in Italia ipsa Metropolitas instituentes, iis cu-

§. IX.

Aliae Patriarcharum Institutiones.

Cum Byzantium Imperii caput per Constantinum Magnum factum esset, Antistites illius urbis tribus antea saeculis Heracleensi Metropolitae subditi, imperatoriae Dioecesis fastum percupien-

ram dederunt non solum Synodos convocandi intra Provinciae fines, sed etiam sacras pro lubitu ordinationes peragendi; hoc pacto legimus ab Metropoli Romana, sejunctam Mediolanensem, Aquilejensem, et Ravennatem Metropolim. Ex quo nullum dubium exorietur quoad interpretationem can. VI. Nicaeni, si eum Ruffinus male interpretatus non fuisset, unde varias quaestiones inter eruditos induxit, ut plurimi sint, qui post Ruffinum Romani Pontificis potestatem, et Patriarchicam jurisdictionem coarctaverint. Quaeritur sane ex verbis *et ut apud Alexandriam, et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic SUBURBICARIARUM ECCLESIARUM sollicitudinem gerat*, quaenam fuerint illae suburbicariae Ecclesiae? Ruffinus eas intelligere nequivit, quae regionibus *Urbicariis* continebantur, (sic appellatae in cod. Theodosiano) et quae Urbis Praefecto parebant intra centesimum lapidem. Ruffinus sane ignorare haud poterat Romano Metropolitae omnes fuisse subjectas Provincias, quae Urbis Vicario subjiciebantur. Nos igitur laud. Bacchinii verbis rem solvendam ducimus pag. 372 et seqq. « Eo autem sensu Ruffinum arbitror suburbicarias Ecclesias nominasse, quo Graeci Canonum collectores easdem ὑπὸ τὴν Ρωμην vocant. Frustra enim contenditur, id eo sensu scriptum, quo Basilicarum Interpretes, Praefecti Urbis jurisdictionem centenario ab Urbe milliario diffinientes, dixere eundem ἐν τῃ πόλει, καὶ τοῖς ὑπὸ την πόλην potestatem habuisse. Etenim collectorum Graecorum plures eo tempore scripserunt, cum Romani Episcopi notissima erat jurisdictio, obscura vero Praefecti Urbis et suburbicariarum Regionum notitia. At illud idem Scriptor fatetur τὰ ὑπὸ πόλην, καὶ ὑπὸ πόλει apud graecos Canonum interpretes, non modo quae Urbi

tes, novos pariter honores affectaverunt, quibus indulgens Constantinopolitana Synodus decrevit Canone 3.° = Constantinopolitanae civitatis Episcopum habere oportere Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma (17) =: qui quidem Canon Constantinopolitanis Episcopis longe honorificentissimus, sed Romanis Pontificibus

adjacent, sed et quae Urbis dominationi subduntur significare... Porro nec Antiocheni Concilii can. 9. jubens Episcopos providentiam habere πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ την ἑαυτȣ̃ πόλην, significat Regionem Urbi adjacentem, sed eam universam indicat, quae Urbi ipsi subditur. Eodem itaque sensu Ruffinus suburbicariarum nomine eas intellexit, quae Urbis Metropoli subjiciebantur, Ecclesias; et fortasse verbo tenus secutus est Canonis ejusdem Graecum quempiam Interpretem, qui Aristini praeiverit Synopsi, quique Ecclesias ὑπὸ Ρώμην illas dixerit, quas Ruffinus latine vertendas censuit, suburbicarias. . . Sicut enim non consequitur, haud Alexandrino Episcopo subjectas fuisse Civitatum, et Castellorum Ecclesias in Dioecesi, quae Ægypti Provinciae non adjacebant, subjiciebantur enim longissimae dissitae omnes, Lybiae, Thebaidisque, et caeterae; ita cum de Romani Episcopi jure agit, non Urbicarias modo, sive intra Centesimum sitas Fcclesias, sed quaslibet longius etiam dissitas intelligere tam certum est, quam quod certissimum ». Ast ad abundantiam Vid. Bianchi *della Potestà e della Politia della Chiesa* T. IV. p. 272. et 275. De Ecclesiis autem et Regionibus suburbicariis videatur Jac. Sirmondus in oper. var. Tom. IV. p. 1-237. Parisiis 1696.

(17) « Constantinopolitanae civitatis Episcopum habere oportet privilegia honoris πρεσβειας της τιμῆς, post Romanum Episcopum, propter quod sit nova Roma » Vid. T. II. opp. S. Leonis edit. Ball. col. 520, et seq. Haec autem evenerunt sub Nectario an. 381. quae respiciebant tantum honoris privilegia, non jurisdictionis. Vid. loc. cit. et pag. seq. ubi etiam de Anatolio. Cf. Le Quien - Oriens Christianus » Parisiis 1740. T. I. de Patriarchatu CP., et Thomassinus in vet. et nov. Eccl. discipl. de Beneficiis Par. I. lib. 1. c. X. T. I. Lucae 1728. Cf. Bianchi - *della Potestà e della Politia della Chiesa.* T. IV. pag. 54. Roma 1746. et T. V. part. 2. pag. 3. et seq.

invisus, quoddam veluti suscitabulum fuit, ut illi in Thraciam, Pontum, et Asiam, vel Patriarchica, vel Suprema jura sibimetipsis arrogarent, unde seges, et materia litium, et contentionum, quae Graecam, et Latinam Ecclesiam miserrime disciderunt: et unde occasionem captans Hierosolymorum Episcopus indigne Patriarchicam jurisdictionem inivit. Porro Juvenalis, qui in OEcumenica Synodo Ephesina Palaestinam Provinciam, Pontificiis Legatis renuentibus, obtinere nequiverat, tandem in Conventu Ephesino, latrocinio magis simili quam Concilio, voti factus est compos. Et quamvis sanctio pragmatica, quae tres Palaestinas, Arabiam, et utramque Phaeniciam, in jurisdictionem Juvenalis dabat, a Synodo Chalcedonensi irritaretur, convenit tamen inter Juvenalem, et Maximum Antiochaenum, ut Episcopus Hierosolymitanus Patriarchali munere in tres Palaestinas fungeretur, caetera Antiocheno Episcopo obvenirent. Foedifragi postmodum Antistites Hierosolymitani (nec foedus Leoni Magno probatum unquam esse potuit) Arabiam cum Phoeniciis usurpati sunt (18).

§. X.

Episcoporum electiones.

—

Antistites Provinciales, Clerus, et populus, Episcoporum electioni ex Canonica ratione intere-

(18) Cf. praeter Ballerinios, cit. Le Quien Oriens Christianus.

rant: gravius momentum in Praesulibus, et Clero: populo reliquum erat, ut ejus judicium expeteretur, neque eidem Electores adversarentur. Verum, ut vulgus natura sua inconstans, et varium in contraria scinditur studia, in Oriente, ob exortas persaepe seditiones populus electionibus paullatim prohibitus est, admissis Optimatibus, et qui innocentia, et modestia, vel artium optimarum studiis, aut ullo laudis genere commendarentur. Serius id contigisse videtur in Ecclesia Latina, in qua, una cum Clero, Senatus, Primates, et populus in electiones conveniebant, imo, ad electionis decretum, aliquando horum omnium subscriptio accedebat (19).

§. XI.

Quae libertas in Electionibus.

—

E re Ecclesiae non erat tantum populo, et Magistratibus, in electionum negotio tribuere, et nihil omnino Imperatoribus deferre: quin potius, cum animorum disjunctione, partium studiis, et honorum cupiditate interdum dissensio exardesceret, non solum causa, sed necessitas ei fuit Imperato-

(19) Vid. Thomassinus Part. 2. lib. 2. c. 2-11. cit. edit. Verum in electionibus Episcoporum summa potestas erat penes Episcopos, qui unice poterant dignos secernere ab indignis, dignioresque seligere. Populi autem jus in eo erat, ut Episcopi aures testimonio ejus praeberent, et ne, invito populo, darentur Antistites. Cf. laudatus Bianchi in op. cit. T. III. lib. I. c. 6. §. 6. pag. 497. et seqq.

riam auctoritatem invocandi: honoris autem gratia adhibebatur eorum consociatio in regnis, quae ex parietinis Imperii Occidentalis consurrexerant. At nec id satis tutum Ecclesiae fuit; siquidem jus ex indulgentia praesumi, ambitio, pravaque hominum consilia regiis opibus inniti, Canonicae disciplinae vilipendi caeperunt, eoque licentia progressa, ut in Parisiensibus Conciliis tertio, et quarto, in nihilum redactae fuerint Electiones, quae non a Cleri, sed a Principum suffragio vim suam mutuarentur. Quae Conciliorum sanctiones a Principibus vel aegerrime toleratae, vel aliquando impetitae, novusque Ecclesiae ardor in eisdem restituendis, et vindicandis, perpetuam electionum libertatem testantur (20).

§. XII.

Confirmatio Episcoporum.

—

Erat in potestate Romanorum Pontificum Episcopos confirmare, et cum Orientales plagae usque ad quartum saeculum metropolibus caruerint, et Ecclesiae illae omnes Romanum Pontificem Patriarcham, eundemque Metropolitanum revereren-

(20) Cf. Praeter Thomassinum Par. 2. lib. 2. Joannes Caspar Barthel in Opusculis juridicis varii argumenti T. II. in dissertatione praeliminari de concordatis Germaniae Sect. II. p. 122. et seqq. et Sect. III. p. 130. et seqq. Bambergae et Wirceburgi 1771. et Bianchi in laud. op. *dell'esterior politia della Chiesa* T. III. p. 500. edit. cit.

tur (21), Ordinationes quoque Episcoporum supremus ipse Christianorum Moderator conficiebat. Interdum tamen ob causas quasdam, et propter metus, et pericula itineris, Episcopis Comprovincialibus, aliisque vicario munere fungentibus (quod in Illyride actum fuisse legimus), Metropolitanorum ordinationes demandabantur: nonulli Romam acciti, qui eundem Pontificem Consecratorem haberent (22). Oppido falsus est Maurus Ravennatensis Episcopus, qui gratiae Constantis Secundi confidens anno 666. Romanae Ecclesiae jura declinare, et fallere satagebat. Episcopos Comprovinciales a Metropolitanis ordinandos, sibimetipsi vero confirmandos, relinquebat Pontifex. Inducta autem pallii consuetudine, alia deinceps enata est, ut, eo misso, electi statim et probati Pastores evaderent (23).

(21) Cff. Bacchinius in diss. de Eccl. Hierarch. orig. p. 262. et seqq. et p. 325. et seqq. Mutinae 1703. Maffejus in *Verona illustrata* lib. X. de Rubeis in Monum. Eccl. Aquil. cap. 19. Ballerinii T. 2. Opp. S. Leonis M. in observationibus ad II. partem diss. V. Quesnell. c. 5.

(22) Vid. laud. Bianchi T. IV. p. 270. edit. cit. et alibi ut in sup. not. et Franciscus Hallier de sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo Ecclesiae usu - Lutetiae Paris. 1636. Part. 2. Cap. 4. Art. 1-4. sive a pag. 679-782.

(23) Vid. laud. J. C. Barthel in opusculis jurid. etc. Opusc. 1. de Pallio T. II. pag. 22. et seqq., et Thomassinus in op. cit. Part. 1. lib. 2. c. 53. et seq., nec non Ruinartius de Pallio Archiepiscopali ext. T. II. des Ouvrages posthumes p. 339. Etiam honoris ergo Pallii usus aliquando datus est. Legatur Bulla Benedicti XIV. in qua Pallium concedit Carolo Philippo de Greiffenclau Episcopo Herbipolensi an. 1752. tertio

§. XIII.

Episcoporum translationes.

—

Translationes Episcoporum ex alia in aliam Sedem, quamvis a Conciliis, et a Romanis Pontificibus improbatas, imo etiam duris valde poenis affectis interdum, (24) permissu Pontificis, factas fuisse novimus, quod fidei incremento, et Ecclesiarum

nonas Octobris, ubi Benedictus haec habet « Porro inter praecipua Sacerdotalis honoris insignia, quibus diversae per Orbem Ecclesiae, earumque Antistites ab Apostolica sede decorari meruerunt, et Sacri Pallii usus, et jus praeferendi Sanctissimae crucis signi merito numerantur » Praeter Archiepiscopos et Patriarchas, usu Pallii gaudet Cardinalis Decanus prout Episcopus Ostiensis, quod praefert eo die quo Pontificem Romanum electum in Episcopum consecrat, ut factum vidimus die 6. Februarii 1831. quo Gregorius XVI. Episcopus consecratus est ab Eminentissimo Cardinali D. Bartholomaeo Pacca Sacri Senatus Decano. Vid. Hallier - de sacris electionib. et ordinationibus - pag. 784. et seq. Pallium conficitur ex vellere agnorum quos, die S. Agnetis festo in ejus Basilica via Nomentana unus ex Abbatibus Canonicorum RR. Lateranensium, pontificalibus insignibus rite benedicit, quosque statim Romanus Pontifex ad se delatos iterum benedicit, nonnullis tradens Monialibus, ut niveo detonso vellere, virgineis manibus Palliorum fiat contextus, quae tandem in pervigilio Apostolorum Petri et Pauli, super eorum celeberrimo Sepulcro quotannis deponuntur.

(24) Videatur T. III. opp. S. Leonis edit. Ball. pag. 402. in confessione, quam Damasus Papa misit ad Paulinum Antiochenum Episcopum, ubi haec habet « eos (*anathematizamus*) qui de Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tamdiu a communione nostra habemus alienos, quamdiu ad eas redierint civitates in quibus primum sunt constituti » Cff. laud. Zaccaria in Anti-Febr. par. 2. lib. 1. c. 5., et Ballerinii fratres T. III. opp. S. Leonis p. 89., ubi leguntur quaedam statuta Concilii Hipponensis.

saluti, extra omnem ambitus, vel avaritiae suspicionem, dabatur. Fuitque in quorundam sententia, dispensandi copiam extitisse penes Synodos Provinciales, sed quam recte rationes suas inierint, nescimus, et in errorem prolapsos plurimi auctores demonstrant (25). Constat enim Pontifices translationibus ejusmodi modo annuisse, modo vero repugnasse, Synodorum decreta nihili interdum fecisse; ubi praesertim, inconsulta Sede omnium magistra, edita forent, donec, aequissimis causis adducti, translationes Episcopales sibimetipsis in posterum, ut infra a nobis videbitur, adjudicarunt.

§. XIV.

Summa potestas Pontificum in Orientales Episcopatus.

In Pastorum Orientalium electiones minus se se ingerebant Pontifices, et Episcoporum Comprovincialium Metropolitanis, Patriarchis vero Metropolitanorum Ordinationes demandantes, confirmationem Patriarchalium electionum a se exstare volebant. Cujusce rei indicio erant epistolae Patriarcharum ad Pontificem missae, sive ad confirmationem honoris implorandam, sive ad Catholicam unitatem, communionemque profitendam: dignitas firmabatur, et communio, si literis respon-

(25) Inter quos eminent Zaccaria in Anti-Febronio, et Ballerinii T. III. opp. S. Leonis.

sum foret: secus, utraque reijciebatur: accepta vero Patriarcharum communio eodem loco erat, ac probata dignitatis collatio. Et quanti duceretur iste Supremi in Ecclesia judicis nutus, exemplis in historia testatissimis Nectarii, et Flaviani Episcoporum comprobatur: illius ordinationem inanem existimans Theodosius Magnus, eo quod Pontifici non innotuerit, Damasi Papae auctoritate roborandam curavit: Flavianus vero ad Constantinopolitanam Ecclesiam, post Acacii mortem, evectus, licet optimam in se Pontificis voluntatem agnosceret, et ordinationem ab eo suscepisset, nihilominus non antea in throno sedere voluit, quam synodicam Epistolam Romam misisset, unde, superno ferente Numine, Sacerdotia omnia exoriuntur. Quod si infrequenter sane hac praerogativa Pontifices usi sunt, non eam ideo invalidam dixeris; insigne potius exemplar tibi subijcitur modestiae, ac temperantiae, quae imperia non ostentat, libenter remittit, necessitate tantum compulsa in subsidium advocat. Necessitati paruerunt Pontifices, quod sapientis semper est habitum, et Agapitum legimus, Antimo e Constantinopolitana Sede propter crimen haeresis ejecto, supposuisse Mennam; et Martinum hujusce nominis Primum, cum animadverteret Orientem fere totum Monothelitica corruptela depravari, Joanni Philadelphiae Antistiti id facinoris commisisse; ut nempe in omnibus civitatibus Hierosolymitanae, et Antiochenae Dioecesis Episcopis, Presby-

teris, et Diaconis manus imponeret, idque a cunctis Orientalibus tacitum omnino tulit (26).

§. XV.

Electio Romanorum Pontificum.

Non secus ac ad ceteros Episcopos, ita et ad Romanum Pontificem eligendum Cleri et populi fiebat conventus: hoc tantum praestabat, ut, nisi grave aliquod intersereret moram, defuncto statim succederetur. Quidquid autem de primaevis electionibus Imperatores meriti sunt, id omne in motibus, et conatibus prohibendis (nihil profecto humani a lecto quantumvis Virorum coetu alienum putes), in pace componenda, disciplina servanda, qui est rectissimus potestatis usus, versabatur. Exemplum suppeditant, post Damasi fatum, Ursini machinationes, quae discordiarum semina iterum atque iterum ministrantes necessitatem induxerunt Valentinianum Primum anno 385. invocandi, ut electionem Siricii ad Romanum Pontificatum rescripto suo ratam exhiberet (27). Eandem opem Bo-

(26) Cff. Hallier jam cit. p. 760 et seq., ubi plurima exempla afferuntur ad rem, et auctoritate praesertim Ambrosii et Augustini comprobantur; vid. etiam idem Hallier in alio opere de Hierarchia Ecclesiastica. Lut.-Paris. 1646. nec non Bianchi, et Zaccaria.

(27) Extat rescriptum apud Coustant. in epist. RR. PP. col. 639. et seq. Parisiis 1721., ep. 2. Valentiniani Imperatoris ad Pinianum hisce verbis expressum « Abe (*ave*) Piniane carissime nobis » Populum Urbis aeternae gaudere concordia et optimum eligere sacerdo-

nifacius Antistes Summus ab Honorio Augusto anno 420, est consecutus (28).

tem, Populi Romani esse credimus, instituti; et nostris gratulamur advenire temporibus. Proinde quoniam religiosum Siricium Antistitem sanctitatis sic praeesse sacerdotio voluerunt, ut Ursinum (*alias Ursicinum*) improbum acclamationibus (*noluerint*) violarent; nostro cum gaudio memoratus Episcopus ipse permaneat, Piniane carissime ac jucundissime: siquidem magnum innocentiae, et probitatis exemplum est, in una acclamatione, et ipsum eligi et ceteros improbari. » – Data VII. Kalendas Martii (*die* 23. *Febr.*) –

(28) Legatur apud Petrum Coustant. in Epist. RR. PP. col. 102-61028. epistola Bonifacii ad Honorium, qua eum exorat, ut constituatur Pontifex (*jam rite electus*) quia in Urbe per ambitum nunquam Pontifex ordinabatur, et Rescriptum Honorii Aug. ad Bonifacium Papam, in quo statuit ut si denuo Romae duo Episcopi ordinati fuerint ambo de civitate pellantur, animis vero nunquam excidere debet quaedam acerbis temporibus danda esse, quaedam mitescentibus subtrahenda. Haec itaque venia temporibus data est, ut Praefectus Praetorii in electionem Pontificis aliquando immisceretur, dum aliunde certo constat ante Odoacrem, qui fuit Italiae Rex scilicet ante annum 483. regium assensum nulli Pontificum electioni validitatem et vim impertivisse. Neque eum omnino esse attendendum decrevit Symmachus in Concilio Romano. Quis enim locus (clamabat in eodem Concilio Tudertinus Episcopus) ecclesiasticae libertati, quis Canonicae disciplinae, si electiones nostrae laicorum ingeniis versentur? Quis in hac causa humanas tam varias, neque divinitus instinctas, voluntates expectet? quid si virum sapientia insignique virtute praeditum malae aulicorum artes excludant? improbo vel inscio faveant? si vigili custode rejecto, fur aut lupus in gregem immittatur? hisce a Tudertino Antistite fortiter disputatis, miraanimi consensione adhaerebat Symmachus qui habito Romae Concilio, regulas nonnullas de Pontificibus eligendis confecerat. Decernebat scilicet, ut si quis, Papa superstite, de Romano Pontificatu deliberasset aut subscriptionibus, aut religionis sacramento, aut suffragiis et privatis conventiculis de alio in posterum eligendo decerneret, loci sui dignitate, et communione amoveretur. Sancitum etiam fuit, ut is inaugurraretur Episcopus, si in eum omnia Cleri Romani suffragia convenirent, si discreparent, de majori tunc

§. XVI.

Electio Pontificum sub Gothis Regibus, et Justiniano.

—

Alius quoque rerum eventus, licet prima fronte Regiam praevalentiam commendare videatur, reipsa tamen excludit. In ancipiti erat Pontificis electio, dispertita suffragia, hinc Symmachus, illinc efferebatur Laurentius, donicum inter discrepantes convenit, ut Theodoricus Italiae Rex ex duabus sententiis dijudicaret (29). Judicium, idemque aequissimum, redditum est, eum in meliori causa esse, quem prius, aut plures Pontificem salutavissent. Verum Ecclesiae libertas in discrimen vocari caepit cum Gothorum Reges, vel Ariana labe infecti, creandos, vel confirmandos Episcopos, ultro sibi susceperunt; discrimen, inquam, magnum, in quo praestantissimos caeteroquin Episcopos a Gothis interdum praefectos licet Ecclesia respuere noluisset, respuit vero, utpote quae immutabilia jura, a Domino dominantium sibi tributa, personarum acceptionibus quibusdam, vel Arianorum Principum ingeniis praeferre consuevit.

Pertentatam modo, modo vero usurpatam a Gothis Regibus electionis hujusmodi potestatem ne-

numero haberetur ratio. Hoc decretum habes in capite *si quis Papa* dist. 79. Cf. Bianchi in op. alias cit. T. V. p. 2. l. 3. c. 6. §. 1. et T. VI. lib. 4. c. 3. §. 2.

(29) Cf. Thomassinus part. 2. lib. 2. cap. 16.

que integram, neque firmam, Justinianus Imperator sibi, et successoribus suis, collapso Gothorum regno, habere potuit, neque eadem cum ex mera indulgentia et tolerantia Ecclesiae oriretur, talis erat, ut de pristina suffragiorum libertate Clero S. P. Q. R. quidquam detraheret: confirmabatur qui jam suffragia tulisset, et ubi repudiaretur, nova indicebatur electio (30).

§. XVII.

Electionum libertas a Romanis Pontificibus recuperata.

—

Priorem laudant nonulli Constantinum Pogonatum, qui a confirmandis, vel nutu suo, vel per Exarchas, Romanis Pontificibus abstinuerit: Susceptio Apostolicae dignitatis praeter Regiam confirmationem instauratae libertatis auspicium fuit, idque inferunt nonulli ab aetate Joannis V., nempe ab anno 685., nos vero, bona cum illorum pace, ab aevo Gregorii Tertii, quandoquidem anno 731., vel inse-

(30) Cf. Bianchi in op. cit. Ceterum confirmatio Romanorum Pontificum ab Imperatoribus peracta hosce ad Cathedram Romanam, et novum Antistitem contra factiosos et turbida hominum ingenia defendendum provocabat. Tempore vero, quo haec confirmatio expectabatur, ecclesiasticae rei totius administratio et diplomatum subscriptio aliaque hujusmodi Archipresbytero et Archidiacono relinquebantur. Cff. Mabillonius in comment. in Ord. Rom. c. 18. T. II. Musaei Italici p. 113. Fabricius in Bibl. Lat. med. T. II. p. 38. Caveus in hist. literar. p. 620. et liber diurnus RR. PP. (collect. circ. an. 715.) editus a Garniero. Paris. 1680. et Hoffmanno in Nov. Script. et Monum. collect. T. II. et recusus Viennae 1762.

quenti, nefario Graecorum molimine, Roma rempublicam habuerit. Tum vero, et usque dum aliqua Exarchis in Italia potestas fuit, quae excidit Zacharia Pontifice, et post hujus exilium, libera ab omni impeditione extitit ordinatio, et electionis Edictum, sive hujus exemplar ad Reges Francorum, consecratione peracta, mitti caepit non equidem in supplicem gestorum commendationem, sed in laudabile testimonium concordiae. Nunquam denique obliterandum, quod insigni ac prorsus singulari animi magnitudine Hadrianus I. Romanus Pontifex Carolum Magnum praemonuerit, ne se se in eligendis Episcopis intermisceret, et quam spectabili modestiae ac devotionis exemplo spoponderit Caesar, nihil in omni ditione sua optatae libertati obfuturum. Eapropter fabulosissimus existimandus est Sigebertus dum asserit, Hadrianum, quem ab Apostolica constantia laudamus, in Romana quadam Synodo facultatem Carolo Magno tribuisse decorandi sacris infulis Episcopos, et Archiepiscopos, eligendique Pontificis (31).

§. XVIII.

Eligendorum dotes.

—

Clerici, magna parte, et Laici in creando Pontifice versabantur, utrique tripliciter subdivisi:

(31) Vidd. laud. Thomassinus loc. sup. cit. c. 20. Pagius in critica ad an. 773. de Marca. lib. 8. *de Concordia etc.* c. 12. et Bianchi in op. al. cit.

in hisce Cives, milites, et universitas populi, in illis vero Sacerdotes, Ecclesiae Proceres, et quod reliquum foret Cleri. Sacerdotes erant Episcopi septem Cardinales, cum Presbyteris octo et viginti Cardinalibus. Proceritatem tenebant Archidiaconus, septem Palatini Judices, Diaconi Regionarii, et quos splendidiora Ecclesiae munera a clericali caetu discriminarent. Cleri vulgus, si ita fas loqui, constituebant Subdiaconi, Acolythi, et Notarii nullo Palatino officio insigniti. Id autem principio in more, et dein edito synodali Decreto Bonifacii Tertii pro lege receptum (32), ut a defuncto ad succedentem Pontificem triduum interesset: item sancitum, ut a Pontificali fastigio remotus haberetur, qui inter Clericos, aut Levitas, aut Presbyteros non cooptaretur. Fregit tum alios, tum hunc potissimum canonem Constantinus quidam laicus, qui statim post mortem Pauli I. per summam audaciam Pontificatum occupavit (33). Verum composita res est, Pontifice ordine, et rite, creato Stephano Tertio, alias Quarto, coactoque anno 769. Romae Concilio, in quo Constantini acta deleta, Canones editi, et in iis anathematis poena cuilibet decreta, qui nullo functus Sacerdotio, nec Diaconus, vel Pres-

(32) Anno aerae vulg. 607.

(33) Ipse enim e Laicorum vulgo majora ac longe majora appetens, perfecto nondum funere Pauli Primi, immo calente adhuc ejus cadavere seditiosorum quorundam consiliis, et viribus adjutus Pontificatum Maximum suscepit, et ab Ostiensi Episcopo injuria consecratus, eam dignitatem anno integro et mense arroganter gessit.

byter Cardinalis excussione, et saltu, eo usque pertingeret: perpetuum vero anathematis vinculum, si quis Sacerdotio suo, Episcopatu, aut quocumque honoris gradu, ad tantam dignitatis amplitudinem sibi parandam, abuteretur (34).

§. XIX.

Ecclesiae census, ejusque dispensatio.

—

Constantinus M., perturbatae Ecclesiae pacator, atque egenae munificus opitulator, legem jussit, ut bona, et jura, haereditate ab Ecclesia acquiri possent, ejusque tum edicto, tum exemplo permoti, Imperatores, aliique Principes viri, plura in posterum testamento eidem legaverunt, cui praeter Decimas et fidelium oblata, nova, et largiflua divitiarum scatebra aperta est. At ne dives rerum copia inconsulto haberetur, dispensandi facultatem Episcopis dedit Synodus Antiochena anno 341., Provincialibus autem Episcopis inspiciendi, an illi

(34) Concilii hujus celebrationi interfuerunt praesertim nonnulli Episcopi e Gallia delecti. Praeter ea decreta jam enunciata, statutum etiam fuit, ne Laici aliquam haberent partem in electione Pontificis, sed hujusmodi munus universum spectaret ad certos Sacerdotes, Ecclesiae Proceres; decretum fuit, ne quis in electione Pontificis arma deferre auderet, ne quis advena ex Thuscia maxime, et Campania, in Urbe moraretur, donec Pontifex electus non esset, et si qui eorum Romae fuissent, de civitate recederent, electo demum Pontifice et in Patriarchium deducto, laici adsciscerentur, ut felicitatem novo ominarentur Pontifici, et electionis decreto subscriberent. De hoc Lateranensi Concilio videatur dissertatio Cenni, quae extat T. I. supplem. ad Concilium Labbei a Mansio edit. p. 627. et seq. Lucae 1748.

intactile patrimonium ad propriam utilitatem referrent, non quaerentes quae Jesu Christi sunt, an Presbyteris, et Diaconibus inscientibus, familiarium suorum fidei, et arbitrio relinquerent. Ad haec, placuit Patribus Chalcedonensibus, ut Antistites non amplius ex semetipsis, sed per sumptuarios domus Episcopalis ejusmodi bona curarent (35). Nec vacat modo tot congeneres Canones in medium adducere, queis vetita Episcopis omnis abalienatio, quam aut ignoraret Metropolita, aut duo, tresve ejusdem, seu proximioris Provinciae Pastores minime comprobassent. Sane in arctum coactas admodum fuisse Episcoporum facultates optime novimus exemplo Caesarii Arelatensium Pontificis, qui cum aliquos agros venui subjicere vellet, officii duxit consilium, et vendendi copiam a Joanne Secundo exquirere, abnuentique acquiescere. Nec memoria unquam excidat, Episcopos, qui liberiorem bonorum dispensationem initio habere videbantur, eadem postea quadrifariam distrahere debuisse, sibi nempe, et Clericis, et egenorum subsidio, et Ecclesiarum instaurationi (36).

(35) Videantur decreta Concilii Agathensis, et Aurelianensis III.

(36) Qua in re adnotandum praestat Simplicium R. P., cum agnovisset Gaudentium Episcopum Ausiniensem, in partiendis Ecclesiae suae redditibus, munere suo juxta Canones functum non esse, omnem curam demandavisse cuidam Severo Episcopo viciniori, atque eas partes, quae reparandis Ecclesiis, alendisque pauperibus, destinabantur, Onagro Presbytero administrandas ita commisit, ut e gradu suo ejiceretur, si recte demandato muneri satis non fecisset.

§. XX.

Ecclesiae Romanae patrimonium.

—

Ditissime saeculis sexto, septimo, et insequenti, aucta est Romana Ecclesia, pagis nempe, fundis, praediis, et aedificiis; praecipue vero, tempore Gregorii Magni, ut habet Joannes Diaconus, amplissimo patrimonio Alpium Cottiarum cum subjecta valle, quod Provinciam versus incipiens, partim ex Liguria, partim ex Apennino Aemiliae constabat: idem a Rothario Langobardorum Rege anno 638. Ecclesiae ademptum Aripertus Secundus annis circiter 704. (37) vel 707. (38) justius restituit (39). Non tamen in hac possessione diu perseveratum est, invadente post obitum Ariperti Luithprando, qui regnum ipsum belli praedam effecerat, et postea monitu Gregorii Secundi, animi duritiem flectens, in patrimonium suum Ecclesiam reposuit. Bona haec, et latifundia, Romani Pontifices procuratoribus, et defensoribus, dederant administranda, accedentibus ad hanc possessionem civitatibus nonnullis, Cumana videlicet, Hidruntina, Nepesina, et Gallipolitana, quae vero, nec Patrimo-

(37) Baronius ad an. 704. n. 1.

(38) Pagius ad an. 707. n. 2. Muratorius Annali d'Italia T. 4. pag. 211.

(39) Hujus rei testes omni exceptione majores habemus Bedam, Auctorem libri Pontificalis, Paulum Diaconum, aliosque.

nii nomine veniebant nec defensoribus, sed spectabilibus undequaque viris regendae permitterentur (40).

(40) Quae de Alpium Cottiarum dicta sunt, falsitatis redarguit Henricus Gulielmus Niemejerus in hist. saec. VII. et VIII. varior. fabulis maculata, quam in lucem edidit Helmstadii an. 1715. praeside Jo. And. Schmidio. Putat enim credibile haud esse, Reges Langobardorum tam amplum ac inusitatum omnes Romanis contulisse Pontificibus, Bedam spectatissimum Scriptorem criminatur, qui illud retulit nomine donationis ex discrepantia scriptorum in assignando donationis tempore, alterum ducit pro sua sententia argumentum, quod firmat auctoritate Platinae. Ast rebus bene perpensis, quod tenendum sit clarissime patet. Primo enim ab Ariperto nos restitutionem, non munus, seu donationem repetimus, si vero cit. auctor medii aevi Scriptores, nec non diplomata, et acta eorum temporum, quibus Ecclesiae a Principibus aliquid tradebatur, attente legisset, nomine donationis expressum vidisset et munus, et restitutionem, et confirmationem bonorum.

Quod autem habet de Scriptorum discrepantia quoad tempus, videat ipse, quid, posito hoc veritatis criterio sequeretur, de Christi existentia, de ceteris Historiae factis, in quorum epocha adsignanda discrepant scriptores. De Platinae vero auctoritate judicet quilibet, an coaevo, vel potius remotissimo scriptori habenda fides sit. Praeter citatos scriptores in nota sup. vidd. de Alpium Cottiarum restitutione auctor Chronicae Monasterii Moissac edit. a Duchesne T. III. Script. Rerum Franciae p. 136. Ado in chron. T. VII. Bibl. Patr. edit. Paris. p. 384. Joannes Diaconus (floruit circa an. 870.) T. I. par. 2. pag. 306. Rerum Italic., aliique, quos enumerat eruditissimus Monsagratius Can. Reg. in sua dissertatione italica inedita - *sopra il Patrimonio dell' Alpi Cozzie* - quam nos Deo favente, latine redditam edemus in Thesauro Historiae Ecclesiasticae. Quid tandem Alpium Cottiarum Patrimonium fuerit, non una est eruditorum sententia; probabilius autem arbitramur magnis constasse territoriis, praediis, domibus, armentis, aliisque rebus stabilibus, non secus ac aliae possessiones, quas Ecclesia Romana in multis terrae partibus habebat, latifundia appellatas.

§. XXI.

Temporalis Romanorum Pontificum potestas.

Supremi Pontifices, Senatu, populoque libentibus, Romae, ejusque ducatui, vigintiquinque annorum spatio praefuerant, ab Italico cum Graecis dissidio usque ad discessum Stephani Secundi in Gallias; quod autem imperium Pontifices, conversionem Orientalium semper prae oculis habentes, et volentibus populis, magisquam sibimetipsis obsecundantes, diutius gestaverunt. Populis aeque ac viris principibus acceptam exercuerunt in Urbe, ejusque Ducatu, dominationem Pontifices, quam à Francorum voluntate, vel sub Carolo Martello, aut Pipino hujus Filio, consequutos fuisse, aliquibus non bene visum est. Etenim nec ad veri similitudinem accedit, Pontifices a Longobardis acriter vexatos in Francorum Principes ante annum 753. fuisse confisos, Romaeque principatum, populique mira consensione sibi dediti regimen adfectasse; quinimo, exaestuante in dies Longobardorum rabie, Copronymus litteris motus, vel potius fatigatus est, ut conflictatae Urbis fortunae prospiceret, maloque ingravescenti mederi vellet. Sed cum omnis Graecorum subsidii spes adimeretur, et orientalis perfidia quotidie magis ingravesceret, tunc denique Stephanus II. *al.* III. primum per litteras, dein ipsemet Pipinum Francorum regem rogavit,

et auxilium consecutus est (41). Neque id symbolica regalis, aut consularis dignitatis oblatione, aut alio modo, quod neoterici scriptores autumant, sed impertito vere patriciatus, et protectoria Romanae Ecclesiae dignitate, quae nulli ex Francorum Principibus, ut est adnotum, antea obvenerat (42).

§. XXII.

Hujusce potestatis ampliatio.

—

Anno 754. Corisiaci (43) Diploma confectum, subscriptoribus Pipino, et filiis, Carolo, et Carolomanno, qui Romani Patriciatus honore fungebantur, et Palatinis officiis (hoc nomen eorum, qui Imperatori in Palatio inserviebant). Agebatur vero de Exarchatu, et Pentapoli, ubi vix propellerentur vi armorum Longobardi, Supremo Ecclesiae Principi, ejusque Successoribus, dono adsignandis, quas Provincias tribus ante annis Astulphus Graecis, sive potius Pontifici, in cujus fide Graecam impietatem pertaesae sese tradiderant, eripuerat. Quod consi-

(41) Vid. Cajetanus Cenni in admonitione in S. Gregorii M. epistolas Carolo Subregulo hoc est Martello datas, pag. 1. T. I. et in admonit. in Stephani II. *al.* III. literas ad Pipinum p. 57. ejusd. Tomi I. operis inscripti - Monumenta dominationis Pontificiae, sive Codex Carolinus juxta autographum Vindobonense, Epistolae Leonis M. Carolo Augusto, Diplomata Ludovici, Ottonis, et Henrici, Chartula Comitissae Mathildae, et Codex Rudolphinus ineditus - Romae 1760.

(42) Vid. cit. op. Cajetani Cenni.

(43) Idem sup. cit. T. I. p. 321.

lium recte, sane, liberaliterque initum, ut perficere posset, instructo exercitu, Alpibus superatis, itinere in Italiam reverso, cum Astulpho congressus, triumphum egit, donatamque possessionem Apostolicae Sedi, quae ideo Exarchatum et Pentapolim postliminio recepit, magna virtutis, aequitatisque laude vindicavit: nonnullae civitates, defectione facta, Hadriani I. dumtaxat aetate, et expunctis Longobardis, ad officium rediere (44). Pipino extincto, eandem Astulphi rapinam obductam, seu cicatricem refricare ausus Desiderius, qui regium imperium in Longobardos exercebat, eodem prorsus fato usus est; siquidem Carolus Magnus, Pipini filius, paterni memor, et instaurator exempli, postulanti Hadriano Primo libentissime annuens, ingentem militum copiam per Alpina juga transduxit, Longobardorum vires, ac regnum, in Italia fregit, et Romam invisens, patrii muneris largitatem servavit, et auxit, novis Provinciis et Urbibus adnexis rei Pontificiae, quae ita altius quam antea unquam, mirum in modum emersit (45).

(44) Idem sup. cit. in adm. ep. Steph. II.

(45) Praeter T. I. laudati Cenni, vid. T. II. ubi de diplomate Ludovici Pii. A veritate quam longissime absunt, qui persuadere conantur, Carolum Magnum, anno 800. ad Imperii fastigium elatum, urbem Romam, ejusque agrum sibi adjudicasse, et, prioribus sumptis dominationis partibus, Romanae Ecclesiae dominium, ut a Jurisperitis vocari solet, utile, attenuatamque jurisdictionem reliquisse. Falluntur, inquam, oppido qui talia vel in alienos animos inducunt. Etenim instauratum a Carolo Magno occidentale Imperium, eam prae-

tulit indolem, ut quaedam esset Pontificiae potestatis consociatio, et communio, et praeter offensionem principatus, et auctoritatis Pontificum, Urbem tantummodo moderandam, Ecclesiamque defendendam susciperet; unde ex enata Patriciorum dignitate, aut ex Imperatorio sceptro, haudquaquam Pontificibus fuit de amissa in Urbem, caeterasque provincias, aut de imminuta potestate dolendum. Aliunde equidem affuit Summis Ecclesiae Praesulibus doloris causa et angustiae, obortis tumultibus et seditionibus pessimorum civium, quos dominandi libido invaserat, et Pontificum, ac reipublicae saluti, sacrique Principatus dignitati aeque adversos, infensosque faciebat. Tot malis oppressi Pontifices, et pene obruti, cum se se in summum discrimen adductos esse sentirent, haud mirum est, si, addictis rebus solatium laturi, quod primum opportuna occasio in manus dare visa est, continuo captandum esse existimarint, et honestatis Romano Patriciatu Francorum regibus Pipino, et Carolo Magno, excitata deinde in Occidentalibus provinciis Imperatorum dignitate, haud parum ita praesidium sint consequuti. En igitur quo pacto Imperii Praesides Romanorum Antistitum suapte natura propugnatores appellari meruerint, qui molitores novarum rerum auctoritate, atque armis continere, et compescere, omneque periculum Urbi, Pontificioque solio impendens prohibere sategerunt. Haec autem adeo comperta, et vulgata sunt, ut lucem in meridiem inducat, qui clarioribus monumentis eadem illustrare velit.

CAPUT II.

De Romanis Pontificibus.

§. I.

Pontifices Saeculi quarti.

—

Extitere post Marcellum (46)

(46) « Marcellus natione Romanus ex patre Marcello » scribit Cat. II. « ex patre Benedicto de regione Via Lata » habet liber Pontif. ap. Schelstr. p. 441. T. I. Antiq. De annis Pontificatus S. Marcelli discrepant Scriptores. Papebrochius in conat. p. 125. signat An. 1. M. 7. D. 30. Coustantius ad Marcell. p. 31. A. 1. M. 7. D. 27. Tillemontius T. V. pag. 98. et 626. An. 1. M. 7. D. 20., quam postremam sententiam sequuntur etiam Pagius in crit. n. 7. Ann. 308. et n. 3., et An. 309. ad Ann. Bar., Franciscus Pagi in vita Marcelli, Gravesonius in Tab. Pontif. Ast Catalogus depictus in Basilica Ostiensi, juxta Lazeri in Catalogis p. 24. n. XXXI. dat An. V. M. VII. D. XXI., vel ut aliis placet dies XXV. Baronius signat An. 4. M. 1. D. 25. Bollandus T. II. Jan. p. 4. n. 3. habet an. 5. et nonnullos menses. Blanchinius T. II. Anast. pag. cII. Proleg. et pag. 265. col. 2. in not. ad Marcellum stat pro annis 5. M. 7. D. 25. et apud ipsum Anastas. p. 261. signantur anni 5. M. 6. D. 21. quae sententia placuit Card. Quignonio. Nos autem priorem sequimur opinionem de anno I. Mensibus VI. et diebus XX. Fastorum Consularium supputatione suffulti. Nam in catalogo antiquissimo, et apud Lazeri cit. p. 18. catalogo primo legimus An. 1. M. 6. D. 20. etsi ap. Papebrochium p. 63. in Marcello signetur an. 1. M. 7. D. 20, cum Consulum additamento hisce verbis expresso. *Fuit temporibus Maxentii a Consulatu « Maximiani Galerii VII. atque iterum post consulatum X. et VII.»* Atque ex Fastis constat Herculeum et Galerium, duos scilicet Maximianos, Consulatum iniisse X. et VII., et an. 309. nullos proces-

et Eusebium (47) in Pontificali fastigio Melchiades,

sisse Consules, Augustorum discordia, et in Fastis fuisse signatum *Post Consulatum X. et VII*; cum vero anno 310. legamus. « *Iterum post Consulatum X. et VII.* ut ap. Pagium, et Gravesonium, patet igitur Marcellum Pontificatum gessisse a Consulatu X. et VII. duorum Maximinianorum usque ad *iterum post Consulatum* X. et VII. juxta catalogum cit. scilicet ex dictis ab anno aerae Chr. 308-310. Verum obiit die 16. Jan., electus est Pontifex die 27. Junii, sedit igitur An. I. M. VI. D. XX. Qua in re adnotare juvat Pontificatum Marcelli non decurrere a Constantio et Galerio usque ad Maxentium; sed potius dicendum, Marcellum Pontificatum gessisse dum Maxentius Romae tyrannidem exercebat. Epistolam Marcelli ad Antiochenos apocrypham arbitramur cum Coustantio. Vid. uterque Pagius n. 5. Critic. An. 309. et in jam citata vita S. Marcelli. Hic Pontifex, aerumnis pressus, martyr obiit.

(47) « Eusebius natione Graecus ex Medico » ita Catalog. II; Liber autem Pontificalis scribit *ex patre Medico*. Vixisse temporibus Constantini utrumque jam cit. monumentum tradit; ibidem legimus sub ejus tempore inventam fuisse crucem D. N. J. C. Haec autem additio tum catalogo II. tum libro Pontificali videtur peracta ab amanuensium oscitantia, qui Eusebii tempori tribuunt, quod pertinet ad tempus S. Sylvestri, nisi forsan visionem crucis, quam habuit Constantinus, confuderint cum inventione Crucis sub Helena; quae quidem sententia majus robur acquireret, si protrahi posset Pontificatus Eusebii ad tempus usque, quo de Maxentio triunphavit Constantinus, ut faciunt qui sex annos sedis ei tribuunt. De Annis Sedis discrepant monumenta, et Scriptores. Eusebius in chron. signat menses VII. Catalogus Liberamus M. IV. D. XVI. a 14. Kal. Maij usque in diem XVI. Septembris, Catalogus II. An. VI. M. I. D. III. Liber Pontificalis An. II. M. I. D. XXV. Catalogus pictus ad S. Pauli ap. Marangonium An. II. M. I. D. XXV. Verum dies quo inauguratus est Pontifex, videtur esse Kalend. Aprilis, instante Paschatis festo anni 310., et dies obitus, 17. Aug. ejusd. anni, ut videre est in Blanchinio in notis chron. ad Anast. T. II. p. 270. Quare, nos credimus, Eusebium in Pontificatu vixisse menses IV. et dies XVI. Qui autem An. II. M. I. D. XXV. signant, sedis initium deducunt ab Eusebii ordinatione, id est ut ap. cit. Blanch. ex Dominica Pentecostes 21. Maij. anni 308.

sive Miltiades, Silvester, Marcus (48), Julius,

(48) « Marcus natione Romanus ex patre Prisco » legitur tum in Cat. II., tum in libro Pontificali ap. Schel. cit. T. I. Antiq. p. 455. Nonnulla sunt, quae de hoc Pontifice adnotanda veniunt. Primo relate ad eorum sententiam, qui putant duos extitisse S. Pontifices sub nomine Marci, alterum Patre Prisco successorem S. Silvestri, alterum Patre Probo, successorem Felicis I., utrumque Romanum, et eodem die sepultos, primum in coemeterio Balbinae via Ardeatina conditum, et Marcum ex Probo, sepultum Romae in Ecclesia S. Marci. Id putat Petrus de Natalibus l. 9. c. 23. et 24. Hanc dubitationem innuit Martyrologium Hieronymianum, ubi legitur die VI. Oct. « Romae in Coemeterio Balbinae via Ardeatina S. Marci Episcopi » et die VII. « Romae via Appia depositio Marci Episcopi Confessoris. » Alia Martyrologia sepulturae distinctionem referunt, unum tamen Marcum sub die VII. signant. Martyrol. Adonis habet « Romae via Appia natalis S. Marci P. et C., qui sedit in Episcopatu Annos II. M. IX. D. XX. sepultus in Coem. Balbinae via Ardeatina, quod ipsa insistens fecit. « Usuardus « Romae via Appia depositio B. Marci Papae. » Eadem habet Notkerus. Ab Anastasio haec referuntur. « Hic fecit duas Basilicas; unam via Ardeatina, ubi requiescit, et aliam in Urbe Roma juxta Palatinas . . . . qui etiam sepultus est in coemeterio Balbinae via Ardeatina. » Ast Catalogi omnes unum Marcum signant, et sub nomine viae Appiae et Ardeatinae unicam tantum viam indicari ostendnnt eruditi, ob earum proximitatem, et alicubi etiam admixtionem. Cellarius, T. 1. Geo. l. 2. c. 9. ait « Ardeatina via ex Appia haud procul. ab Urbe etc. vidd. Card. Thomasius T. V. opp. ad Capitul. Evang. (ubi de S. Marco) p. 500. lit. A. et T. II. p. 514. Sarazanius ad carmen XIII. S. Damasi p. 250. edit. Merendae. Franciscns Maria de Aste in discept. in Martyrol. Rom. sub die VII. Octobr. discept. Topographica lit. a. cf. Papebrochius in Marco p. 538. editio Ven. De Pallio, quod dicitur Episcopo Ostiensi a S. Marco concessum, discrepant eruditi. Id ab Anastasio primum accepimus. Coustantius de facto dubitat, alii autem antiquitatem narrationis venerantur, judicent ceteri. Sedisse in Pontificatu An. II. M. VIII. D. XXI. tradit catalogus S. Pauli ut ap. Blanch. T. II. Anastasii p. CIV., et Laz. in Catal. p. 24. n. 35. Anastasius habet T. III. p. 1. An. II. M. VIII. D. XX. ita alii Catalogi ex Anastasio. Catalogus

Bucherianus sub Liberio exaratus apud Buch. p. 273. ap. Schelstr. Tom. I. Antiq. Eccl. p. 454. col. 2. et apud Laz. p. 19. scribit « Mar- « cus menses octo, dies viginti, et hic fuit temporibus Constantini, « Nepotiano, et Facundo Consulibus, ex die XV. Kalendas Februarias « usque in diem nonarum Octobrium, consulibus supradictis » nempe ab die 18. Jan. ad 7. Octobr. an. 336. Igitur Marci electio, et obitus, incidit in tempus eorundem Consulum; unde vixit in Pontificatu menses VIII. et dies XX.

(49) « Liberius natione Romanus » scribit Catal. II. et liber Pontificalis apud Schelstr. T. I. Antiq. p. 457. Sedisse in Pontificatu annos V. M. III. D. III. tradit Catal. II; Liber Pontificalis vero signat An. X. M. VII. D. III. Catalogus sub Liberio exaratus diem tantum designat inaugurationis, hisce verbis « Liberius fuit temporibus Constantini, ex die XI. Kal. Junias in diem . . . . . a Consulibus Constantio V. et Constantio Caesare » apud Schelstr. T. I. Antiq. p. 456. ubi animadvertit « Hic finem accipit antiquior Catalogus, qui nec Consulatum, nec diem obitus Liberii adnotat, quia eo vivente conscriptus est » Si autem hic Catalogus mortem Liberii non signet, eam designatam habemus in libello precum, quem Theodosio Augusto, vergente IV. saeculo, obtulerunt duo Presbyteri Faustinus, et Marcellinus. Vid. Baronius ad an. 367. Hunc libellum edidit Schelstratus in Antiquit. Eccl. T. I. diss. 2. c. 9. n. 2. ex cod. Vat. 4903., de quo Onuphrius Panvinius T. I. H. E. ad an. 355. Eo in libello legitur apud cit. Schelstr. p. 220. col. 2. « Itemque Octavo Kal. Octobris, Gratiano, et Daglaipho CSS. Liberius humanis rebus eximitur » Ast Consulatus Gratiani, et Dagluiphi signat an. 366. Liberius igitur Pontifex declaratus XI. Kal. Junias an. 352., ut ex catal. cit., fatis cessit die 24. Septembris anni 366. idest Pontificatum tenuit An. XIV. M. IV. D. II., quibus annis includitur tempus, quo Felix Pseudo-Pontifex regnavit. Quam supputationem certam esse arbitramur ex monumento allato, quin aliorum monumentorum nobiscum dissentientium auctoritatem referamus. Videat qui velit. Felicem Pseudo-Pontificem regnasse annum I. menses III. dies XII. putant eruditi, Liberium in exilium pulsum an. 355., et Romam rediisse an. 358, certo tenemus. Quid sentiendum sit de Felice II., an legitimus fuerit aliquando Pontifex, an non, videatur Schelstratius T. I. Antiq. diss. 2. pa-

Melchiades (50) manum admovens causae Caeciliani, qui schismatis nota inurebatur, in Lateranensibus Faustae, uxoris Constantini, Aedibus Episcopos coegit in Synodum anno 313., prudenter, laudabiliterque decrevit quae ad unitatem, et concordiam revocandam, apprime conducere viderentur. Rem enim multis difficultatibus obstructam aperuit, et iter ad pacem primus explicuit, cum Clericis, et Episcopis, a Schismate resipiscentibus, graduum, et honorum incolumitatem indulgens, discordiarum ignitabulum ita removit (51). At homo mitis et lenis infesta Donatistarum tela effugere

strem. capit. et Blanchinius T. III. Anastasii in notis chron. ad Liberium p. 8. et seq. Nos autem arbitramur, Liberium pro bono pacis et Ecclesiae ei facultatem fecisse, ut Pontificis M. munus exerceret, dum agebat exilim.

(50) Melchiades, aut Meltiades, vel Miltiades, natione Afer, prohibuit, ut scribunt Catal. II. et Anastasius, ne jejunia peragerentur die dominica, et feria quinta, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. Videatur de hac re Blanchinius in Anast. T. II. p. 273. Sedit in Pontificatu juxta Eusebium in chron. An. VI., sed catalogus I., II., liber Pontificalis, et catal. S. Pauli apud Marangonium p. 19. signantes an. III. discrepant tantum in mensibus, et diebus. Cat. I. habet M. VI. D. VIII. Cat. II. M. VI. D. VII. Liber Pontificalis M. VII. D. XXII. catal. S. Pauli M. VII. D. VI., ubi Blanchinius legit potius D. VII. In hac monumentorum discrepantia nos Catalogi I. auctoritatem sequimur, signantis an. III. M. VI. D. VIII. ap. Schelstr. T. I. Antiq. p. 442.

(51) Vidd. Optatus circa finem lib. 1., Augustinus ep. 43. olim 162. n. 16. Cff. Petrus Coustantius in epist. RR. PP. T. I. col. 327. et seq. et Joannes Laurentius Berti in diss. 6. ital. *di ciò che il Pontefice S. Melchiade operò nella causa de' Donatisti*; extat in ejus opere inscripto « *Prose volgari* » p. 183. *Firenze* 1759.

non potuit, praecipitique animo objurgatus, eo quod judicium paucis admodum Episcopis parva autem inquisitione probatum emiserit; nondum enim totum acerbitatis virum evomuerant, ut postea in Collatione Carthaginiensi factum est, cum inaudito, effrontique mendacio, traditionis SS. librorum crimen improbissime eidem impegerunt (52). Eundem animum, idem crimen in Silvestrum, pientissimum virum, afferentes, in novam veluti lucem temeram audaciam ostenderunt. Hoc autem Pontifice, Concilium eadem de causa convocatum est Arelate anno 314., cui adfuere, pro Silvestro, Claudianus, et Vitus Presbyteri, Eugenius, et Cyprianus Levitae, ibique Donatistarum dijudicatae opinationes, Canonesque disciplinarii additi, et postea uua cum percelebri Synodica Epistola ad Silvestrum transmissi, qui illos evulgaret, et de sua auctoritate muniret (53). Tacita hic libenter relinquimus, quae de actis Silvestri, ut modo extant, et de donatione Constantiniana ab aliquibus conscripta sunt, quaeque cum severiori critice ad unguem componi non posse videntur (54).

(52) Vidd. Augustinus epist. 105. n. 8. et in breviculo diei 3. collat. cum Donat. c. 18. Optatus lib. I., Constantinus ap. Eusebium lib. X. c. 5. Cf. Coustantius loc. cit. col. 332. et seq.

(53) Ext. ap. Coustantium loc. cit. col. 341. et 342. et seq.

(54) « Sylvester natione Romanus ex Patre Rufino » tradit Cat. II., cui cohaeret liber Pontificalis ap. Schelstr. T. I. Antiq. p. 445. Fere omnia, quae de Silvestro dicuntur in actis illius nomine inscriptis, vel conficta, vel interpolata, vel erroribus scatent, ut eruditi me-

§. II.
Julius.

Nihil ad Julii laudem illustrius, quam invicta contra Arianos constantia, quibus in Pontificatu Silvestri a Nicaeno Concilio damnatis Constantius animos, atque insolentiam, indiderat; imo superno, admirandoque consilio factum est, ut violentior Nicaenae veritatis impugnatio in fortem, nulloque pacto expugnabilem, Divinae Ecclesiae custodem inciderit (55). Illinc etenim Athanasius, catholicae ve-

lioris notae conveniunt. Ita inter fabulas est amandanda ejus primaevae aetatis institutio, quae repetitur a Cyrino Presbytero. Nullo certo monumento id constat. Idem dicimus de Silvestro latitante in monte Soracte, dum ejus exilium non poterat evenire tempore Maxentii demortui an. 312., antequam Silvester inaugurarctur Pontifex, nec tempore Constantini, ut refertur in secundo Catalogo, et ab Athanasio ap. Schelstratium T. I. Antiq. illustr. p. 444. et seq. Nam Constantinus, ubi victor de Maxentio triumphavit, statim in Christianorum favorem varias tulit leges, teste Eusebio, aliisque. De annis Pontificatus habemus ex catalogo picto S. Pauli An. XXIII. M. X. D. XXVII. ut ap. Laz. p. 24. n. xxxiv.; nos vero cum Blanchinio T. II. Anastasii p. ciii. et in not. chron. ad Silvestrum p. 281. cum Papebrochio in Propyleo p. 63. et 127, et Tillemontio juxta catalogum antiquissimum ap. Laz. cit. in Catalog. p. 19. dicimus, ejus sedem satis designari ab fastis Consularibus. Legitur enim Silvestrum electum fuisse Pontificem die postrema Januarii an. 314. CSS. Volusiano II., et Anniano, et mortuum die ultima Decembris CSS. Julio Constantio, et Albino, scilicet an. 335., et ideo vixit in Pontificatu an. XXI. et men. XI.

(55) « Julius natione Romanus ex patre Rusticio » ita Catal. II. et liber Pontificalis ap. Schelstr. T. I. Antiq. p. 454. et seq. De annis hae sunt sententiae: Chronicon Hieronymi An. XVI. M. IV. Catalogus I. An. XV. M. I. D. XI. Catal. II. An. XV. M. I. Liber Pon-

ritatis tutator egregius, Marcellus Ancyrae, et Asclepas Gazae Episcopi scriptis, vocibusque falsiloquis iterum atque iterum lacessiti: hinc congregata Romae Synodo, causaque quam diligentissime inspecta, non modo a crimine, sed ab ipsa prorsus suspicione liberati: illinc per fraudem e propriis sedibus avulsi, hinc honorificentissime restituti. Illinc Eusebiani, datis ad Julium litteris, in minas et contumelias prorumpere, et a Synodali conventu, quem iniquo ferebant animo, se se excusare, quod idem erat ac causam tradere: hinc Julius, allatis primo in medium epistolis, incredibilis vaesaniae testes, ex semetipso rescribere, aequissimamque redargutionem injuriis reponere, ut qui Canonum religionem praetenderent, eandem nihilominus fas omne vertentes impudenter pessundarent. At cum

tificalis An. I. M. II. D. VII. Catalogus S. Pauli apud Marangonium An. XI. M. II. D. VI. Corrigenda autem est haec postrema lectio cum Calendario I. ap. Schelstr. T. I. Antiq. p. cit. et Blanchin. T. III. Anast. p. 6. in notis varior. ad Anast. Nam praeterquam quod Catalogus I. annos designet, Consules allegat hisce verbis « Fuit « temporibus Constantini (*haeretici filii Constantini*, ita declarat « lib. Pontif.) a consulatu Feliciani et Titiani ex die VIII. idus Fe- « bruarii, in diem pridie idus Aprilis, Constantio V. et Constantio « Caesare CSS. » ex quibus apparet error in ipso Catalogo I. quoad supputationem mensium, et dierum, quam supputationem nos cum Blanchinio (T. III. Anast. p. 7. in notis varior.) ita ad veram lectionem reducimus « *Fuit temporibus Constantini ex die VIII. Idus* « *Februarii* (id est ex die 6. Febr.) *a Consulatu Feliciani et Titia-* « *ni* (i. e. ab anno Christi 337.) *in diem pridie Idus Aprilis* (i. e. « in diem 12. Aprilis) *Constantio V. et Constantio Caesare CSS.* (i. e. « anno Christi 352.) » quare sedisse dicimus An. XV. M. II. D. VI.

nullimode ab Eusebianis obsequentes Pontifici praeberentur aures, neque ab insidiis et dolis in Athanasium cessaretur, compulsus fuit Julius Constantis Aug. auctoritatem implorare, qui rationibus suis una cum Constantio fratre initis, Sardicensem Synodum convocandam, et, Pontificiis Legatis pro more adstantibus, peragendam curavit. Gesta omnia a PP. relata sunt insigni Synodica epistola ad Julium, qui anno 349. per litteras ad Presbyteros, Diaconos, populumque Alexandrinum faustissimum Athanasii reditum gratulationibus, et votis honestavit.

§. III.

Liberius et Damasus.

Haud impari virtute, post Julium, Liberius adversus Arianos bella Domini praeliatus est, eoque magis celebrandus, quo asperiores temporum difficultates offendit: ingens enim pondus Arianis, gratia Constantii, Constantini Filii, maximamque Ecclesiae molestiarum molem addiderat, et cum foedissimi gregis tumultu Imperatoris etiam obeundus furor. At non tam aegro Liberius pessimorum hominum insolentiam ferebat animo, quam iniquo iidem Supremi Sacerdotis constantiam; et cum optime intelligerent, quis custos gregis, quis luporum insectator esset, nihil non sibimetipsis pollicebantur, si infractum eousque Liberii animum superare valuissent. Itaque crebris litteris, pollicitationibus,

ac donis eundem aggredi, et si minus proficerent, probra jactare, pericula intendere, formidines opponere, sed inani studio, irritoque conatu; maluit enim anno 355. propriam sedem a Felice pseudo-Pontifice occupatam, Constantio saeviente, exsilio mutare, quam e praecessorum vestigiis deflecti. At qui insonti exsilium irrogaverat, Matronarum querelis, unanimique populi consensui, vel potius ineluctabili germanae virtutis vi obtemperavit, et, cum annus 358. ageretur, efflagitanti Urbi Liberium restituit. Eximia haec animi fortitudo objectum a nonnullis in damnatione Athanasii, et in quadam Sirmiensi formula, Liberii lapsum omnino excludere videtur, nosque, re sedulo explorata, et acu tacta, cum tribus quoque epistolis ejus nomine inscriptis ad Orientales, ad Ursacium Valentem, et Geminianum, et Vincentium Capuanum, revera excludendum esse existimamus (56). Liberium exce-

(56) Hanc sententiam primus inivit Abbas Corgne in opusculo inscripto « Dissertation critique, et Historique, sur le Pape Libere, dans la quelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé, par l'auteur de la dissertation sur le Concile de Rimini. » A Paris 1736. Secuti sunt Bollandiani in comm. de S. Liberio mens. Sept., Franciscus Antonius Zaccaria in diss. de commentitio Liberii lapsu, Orsius T. 6. Hist. Eccl. lib. 14. n. 72, et Petrus Ballerinius *de vi ac ratione Primatus* pag. 297 et seqq. Nos Corgnei sententiam libenter amplectentes, varia ab eo exposita argumenta auditorum nostrorum utilitati inservientes breviter pervolvemus. Praemittenda vero sunt nonnulla ad hanc historiam enucleandam. Ante exilium Liberius improbavit condemnationem in Concilio Arelatensi latam in Athanasium Alexandrinorum Antistitem, cui damnationi assensus fuerat Vincentius Capuanus R. Pontificis Legatus. Mediolani iterum hac sententia in Liberium confirmata in concilio,

pit Damasus, qui in Basilica D. Laurentii, ut vocant, in Lucina ad Pontificale munus electus, et ab Epi-

ejus actis Liberius fortiter abnuit. Mediolanum vocatus est a Constantio, et Athanasium condemnare coactus restitit, ideoque Beroeam in Thracia relegatus est anno 355. ibique permansit usque ad annum 358. Cur autem ab exilio sit revocatus, eruditorum est disquisitio. Nos, ut diximus, cum Corgneo credimus eum Romam rediisse, non ob subscriptam formulam quamcumque Sirmiensem, nec ob condemnatum Athanasium, sed ob Romanarum Matronarum, Populique Romani vota, quibus Constantius Imperator facere satis omnino debuit eorum precibus defatigatus, et ob seditiones in Constantium excitatas. Et re quidem vera Sulpicius Severus, et Socrates narrant, Constantium, seditionis metu, Romam Liberium revocasse ab exilio. Eadem dicuntur a Theodoreto, et Cassiodoro, a quibus Matronarum preces referuntur. Atqui citati scriptores, si vere Liberius in haeresim lapsus fuisset, et ideo Romam revocatus, Historiae hujusmodi factum consignassent, immo narrationis scopus eos ad id narrandum coegisset, cum ea tempestate florerent, qua Liberii reditum non omnes unanimiter ab eadem causa repetebant, ut scripto reliquit Ruffinus, Sulpicio Severo coaevus, l. 1. hist. c. 17. hisce verbis « Liberius Urbis Romanae Episcopus, Constantio vivente, regressus est. Sed utrum quod acquieverit voluntati suae adscribendum, an ad Populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus indulserit, pro certo compertum non habeo. » Or (optime subjungit Corgneus in cit. diss. p. 12.) « Or on ne peut pas dire, que ces quatre Auteurs (idest Sulp. Sev., Socrates, Theodoret., et Cassiodorus) aïent ignoré ce que l'on disoit de leur tems au sujet de Libere ; ils sçavoient sans doute aussi bien que Rufin, que les uns attribuoient le retour de Libere à la seule crainte, que l'Empereur eut d'une sédition à Rome; les autres, à la complaisance, que le Pape exilé pouvoit avoir eûë en condescendant à la volonté de ce Prince. Sulpice Severe vivoit du tems de Rufin, et par consequent ne devoit pas l'ignorer. Socrate, qui copie sans cesse Rufin, comme on le sçait, le devoit aussi connoître. Pour ce qui est de Theodoreto, la profondeur, et l'étenduë de ses connoissance ne permettent pas de croire, qu'il ignorât là-dessus, ce que le moindres Auteurs sçavoient; M. de Tillemont (T. 6. p. 780.) l'avoüe de bonne foi. Puis donc que ces quatre Auteurs attribuent simplement le retour de Libere aux

scopo Ostiensi solemni ritu consecratus, dura admodum, atque infausta, sacri Principatus initia, Ursi-

prieres séditieuses du Peuple Romain, que l'Empereur redoutoit : il faut qu'ils aïent regardé comme un faux bruit répandu par les Ariens, la chûte prétenduë de ce Pape. Il faut qu'ils aïent été persuadés, que le doute de Rufin sur cet article venoit de ce qu'il n'avoit pas pû démêler la calomnie que les Ariens avoient répanduë au sujet de ce Pape, d'avec la vérité de l'histoire telle qu'elle étoit en effet. » Insuper si Liberius in haeresim Arianam fuisset lapsus, saltem vel palinodiae vel poenitentiae alicujus fieret mentio apud Historicos citatos vel apud S. Athanasium, vel S. Hilarium, vel apud ipsum Liberium, quae summopere necessaria erant ad fidelium scandalum reparandum; eo vel magis quia post reditum in Arianos animose egit, ita ut resipiscentibus Episcopis Ariminensibus poenitentiae normam praescripserit, ut videre est in ep. Liberii ad Episc. Ital. in fragm. 12. S. Hilarii. Immo biennio post reditum a Patribus Alexandrinis in concilio congregatis recepit decretum ut illud adprobaret, et confirmaret, restituendi scilicet Ecclesiae Catholicae poenitentes lapsos in Ariminensi synodo. Quod demonstrat eos Patres Liberium habuisse tanquam fidei catholicae propugnatorem. Vel igitur nunquam lapsus est, vel si lapsus, palinodiae, aut poenitentiae fieret aliqua mentio, ut quae facta sunt post reditum cum ejus fide componantur. Ast nihil de palinodia, nihil de poenitentia. Accedit quod Populus Romanus fidei Nicenae propugnator obviam Liberio redeunti cum gaudio exivit, et Liberius *quasi victor* (ut ait Hieronymus in chronico) in Urbem ingressus est. Felicem Pseudo-Pontificem oderat idem populus R., praesertim quia cum Arianis communicaverat, ut testantur Theodoretus, et Sozomenus. Quare fieri ne poterant haec omnia in gloriam Liberii, si reditus caussa fuisset vel condemnatio Athanasii, vel formulae alicujus Sirmiensis subscriptio? Tandem laud. Corgneus demonstrat testimonium Athanasii in hist. Arian. ad Monacos n. 41. esse intrusum, cum errores chronotaxis, et contradictiones ibi inveniantur, et cum nec Rufinus, nec citati Historici aliquam de hoc testimonio mentionem fecerint. Eadem habet Corgneus de fragmentis S. Hilarii, aliisque argumentis ejus sententiae appositis. Quae omnia legi possunt in cit. dissertatione. Testimonia potius scriptorum afferamus, quorum auctoritate nostra innititur sententia. Sulpicius Severus lib. 2. Hist. sac. « Sed

cini Romanae Ecclesiae Diaconi scelere atque audacia, expertus est. Hic nimis alta semper vasto immoderatoque animo cupiens, Pontificis personam ac nomen accepit a Clericis nonnullis in Basilica Julii, consecrationem deinde ab Episcopo Tiburtino, unde acerbissimo schismate Urbs discerpta, et lacerata, caedem promiscuit, venerandaque templa humano sanguine polluit, neque antea potitis armis respirare potuit, quam Ursicinus una cum factiosorum manu in exsilium actus pestilentissimo eam alitu, magnoque metu liberasset. Non diu tamen pax mansit, quam turbulenta hominis consilia, et furiosissimi motus, intercepere. Dat classicum, quoscumque mala mens, mala in Romanam Sedem voluntas agitat, in belli societatem adducit; Judaei, et Ariani, et Luciferiani, inaudito foedere conjuncti, ad eum, tamquam in sentinam confluunt: nihil quod favere videatur intentatum relinquitur. At minime passus Princeps Deus, *inimicum hominem dominico agro* potiri, bonumque semen suffocare,

Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones Romanas. Socrates l. 2. c. 37. » Liberius autem non multo post ab exilio revocatus, sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod Populus Romanus seditione conflata, Felicem Ecclesia illa ejecerat; Imperatorque ipse, etiam invicto animo illis consenserat. » Theodoretus lib. 2. Hist. c. 17. loquens de Constantii consilio jubentis, ut cum Liberio Felix tanquam Collega regnaret, Populum Romanum clamasse testatur » unus Deus, unus Christus, unus Episcopus: quibus vocibus cum pietate et justitia a pia plebe profusis, rediit Episcopus Liberius » Eadem retulit Cassiodorus in hist. Tripat. lib. 5. c. 18.

ex miserando sane schismatis discrimine sanctissimum Pontificem nova gloria ornat, ornarique vult honestissimis Graecorum, Latinorumque Patrum, atque Imperatorum praeconiis et laudibus; atque ita, quod antea semper, virtutem hominum injuria illustrat, et veritas, Deo duce, dum violatur, effulget. Catholicae tandem Fidei in exemplum adsertor, haereticorum Arianorum praesertim, et Apollinaristarum, multis adhibitis in eos Conciliis, repressor, idemque provehendo, ubique pietatis studiosissimus, amoeniores quoque litteras adamavit, panxitque carmina Deo, et Caelitibus Sanctis, quae in vetustioribus Urbis Ecclesiis inscripta lubenti gratique animo perleguntur (57).

(57) « Damasus natione Hispanus ex Patre Antonio » tradunt Cat. II., et Liber Pontif. apud Schelstr. cit. T. I. antiq. p. 461. Quae referuntur ad ejus scripta videsis apud Hieronymum in catalogo de viris illustribus cap. 103. Cf. Bolland. in actis S. Irenes sororis Damasi ad 28. Febr. T. III. Ex Gratiano in Decr. 2. quaest. 3. c. 2. excerpta est ea, quae ab eo dicitur constituta talionis poena. Vidd. Merenda p. 14. *in Apocryphis Damasi*, Papebrockius in Conatu hist. p. 146. n. 8. Coustantius pag. 626. n. 10. Decretum de Psalmis canendis cum Gloria Patri, etc. erutum videmus cum Erasmo in sua edit. 1516. ex falsis S. Hieronymi ad Damasum epistolis, etsi eas tum Sarazanius, tum Henschenius T. I. Apr. Bolland. ante Catal. Pontif. ut sinceras ediderint; unde aliorum martyrologior. errores. Certum autem esse dicimus, quod Damasus Hieronymo suaserit, ad emendationem Psalterii conficiendam, quam perfecit juxta versionem LXX., quae nunc sub nomine venit Psalterii Romani Basilicae Vaticanae. Vid. Orsi T. VIII. Hist. Eccl. lib. 19. an. 384. n. VII. p. 260. De Psalmodia ab eo statuta ut dicitur, ait Bona de Psalmod. c. 16. « Cantum alternum Damasus non introduxit, sed ab Ambrosio institutum Apostolico decreto stabilivit primus ». Sedisse in Pon-

§. IV.

Siricius, et Anastasius.

Infrementibus adhuc Ursicinianis, Ecclesiae gubernacula suscepit proximus a Damaso Siricius in exitu anni 384., moderatusque est, usque ad annum 398., quem postremum vitae habuit (58). Si Hieronymo aures praebeamus, singularem quamdam animi lenitatem, et suavitatem, si autem scripta, quae

tificatu annos XVIII. M. II. D. X. innuunt Anast. ap. Schelstr. T. I. p. 461., Sarazanius in actis S. Damasi, Catalogus S. Pauli ap. Blanch. T. III., Anast. p. LXXIII. et in not. chr. p. 33.; Laz. in suis catal. p. 24. n. XXXIX. et pag. 32. n. VIII., Merenda p. 129. col. 1. de loco sepulcri vidd. Marangonius, Merenda, et Notitia Urbis Romae apud Willelmum Malmesburiensem lib. 4. de rebus gestis Regum Anglorum in Willelmo II. S. Damasi opera edidit prae ceteris Romae an. 1754. Antonius Merenda.

(58) « Siricius natione Romanus ex patre Tiburtio » sic habet textus Anastasii ap. Blanchinium T. III. Anast. p. 49. Ejus sedis annos fuisse XIII. M. I. D. XIV. teneat Baronius, etsi non neget « in nuper reperto indito ejus sepulturae Epitaphio dicatur sedisse annos XV. » Vid. Baronius ad an. 398. In libro Pontificali omittuntur menses, et dies. Duo Catalogi Vaticani 1. et 3. relati a Vignolio scribunt sedisse annos XV. M. XI. D. XXV. ceteri ab eodem citati conveniunt in annis XV. sed non in reliquis. Alia discrepantia vel in mensibus, vel in diebus apparet in catalogis a Blanchinio Seniore relatis, et in codice Reginae Sveciae apud Schelstr. Annos XIII. M. XI. D. V. huic Pontifici tribuit Pagius in Breviario, Catalogus ad S. Pauli signat An. XV. M. XI. D. XXV. Nos hanc postremam supputationem tenemus, sed annos XV. M. XI. et Dies XXV. fluxisse cum Blanchinio asserimus ab die ordinationis Siricii ad episcopatum, non tamen ad Romanum. Blanchinius T. III., Anast. et seq. hac quaestione de annis hujus Pontificis exagitata, tabulam chronologicam

de eo exstant, consulamus, hominem pro Catholicae Disciplinae institutis novos veluti spiritus, novumque ardorem induentem videmus: quae licet difficulter, ac raro, consociari soleant, ut repentina naturae conversio, copulat tamen utrumque commendata magnopere a Christo Deo erga fratres charitas, quae tantum mansuetudini, quantum justae correptioni tribuere debet. Inter ejus epistolas a

efformavit p. 55., qua comprehenduntur Pontificatus SS. Siricii, Anastasii, Innocentii, et Zosimi, quam nos lectorum oculis subjicimus

Ærae Christi Anno	Mense	Die	
383.	Sept.	24.	Dominica A. Ordinatio Siricii ad Episcopatum, non tamen ad Romanum
384.	Dec.	11.	Obitus S. Damasi. Vacat sedes usque ad diem 31. Decembris
385.	Kal.	Januar.	Successio Siricii in sede Romana
399.	Sept.	19.	Obitus Siricii ab ejus ordinatione Episcopali annis XV. Mensibus XI, Diebus XXV. Vacat sedes dies 20.
399.	Octob.	9.	Dominica B. Ordinatio et successio Anastasii Pp.
401.	Nov.	3.	Obitus Anastasii post sedem annorum II. et dierum XXVI. Vacat sedes dies 20.
401.	Nov.	24.	Dominica F. Ordinatio, et successio Innocentii.
417.	Feb.	14.	Obitus Innocentii post sedem annorum XV. Mens. II. dierum XX. Vacat sedes dies 22.
417.	Mart.	9.	Electio Zosimi, ejusque ordinatio die Dominica 11. Martii G. lit. Dom.
418.	Dec.	6.	Obitus Zosimi postquam sedisset annum unum menses VIII. dies XXV. Depositio ejusdem 8. Kal. Januarii.

Reliqua de hoc Pontifice videsis ap. Blanchinium. Anno aerae chr. 365. finituram esse Religionem Christianam ajebant Ethnici. Prophetiam exitus comprobavit! Vid. S. Aug. l. 18. de Civit. Dei. c. 53.

Petro Coustantio evulgatas magna admiratione prosequimur, quae Himerio Tarraconensi inscribitur. Pari incensus zelo Joviniano, ejusque asseclis, vehementer restitit, dignus hac causa, qui ab Ambrosio, aliisque Episcopis Mediolani tum temporis se habentibus, per grave omnino, irrecusabileque judicium, laudibus extolleretur (59). Paullianistas audacia, atque impudentia fretos compescuit, apparuitque omnibus qualis in Ruffinum, Origenisque adstipulatores futurus, si longo, obscuroque verborum circuitu, quae est novatorum omnium ara, nexi errores sese aliquantum explicassent.

Acerrimum animadversorem nacta sunt Origeniana placita Anastasium (60), Siricio suffectum, ut a Hieronymo, aliisque Patribus, tum potissimum ex ejusdem epistola ad Joannem Hierosolymitanum edocemur (61).

(59) De Siricio, ejusque sanctitate, et rebus gestis vidd. Norisius in diss. *de sanctitate Siricii* T. IV. opp. et Benedictus XIV. in literis ad Joannem V. Portugalliae et Algarbiorum regem de nova Martyrologii Romani editione.

(60) « Anastasius natione Romanus ex patre Maximo » refert Anastasius T. III. Blanchinii p. 59. de annis sedis videatur tabula Blanchinii in Anast. T. III., quam nos in nota (58) de S. Siricio apposuimus.

(61) Eam primus edidit Vallarsius inter opera Hieronymi. Eamdem Hieronymus a Prato recudit T. I. opp. Sulpitii Severi diss. VI., ubi multa de Origenis damnatione accurate disputantur. Utrum autem Ruffinum latae sententiae stigmate notarit Anastasius, adhuc sub judice manet, quin fidenter omnino asseverari possit. Quod procul dubitatione est, Anastasium in cit. ad Joannem epistola se se ad decretorium judicium promendum non inductum fassum, esse quippe qui

§. V.

Pontifices saeculi V.

—

Innocentius.

Hi fuere Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, Sixtus III., Leo Magnus, Hilarius, Simplicius, Felix II., Gelasius, et Anastasius II.

Innocentius, apud Graecos, aeque ac Latinos magno honore habitus, cunctis Episcoporum Cleri, populique suffragiis, ad Pontificatum vocatus, Anastasii defuncti desiderium in Ecclesia Dei impense adlevavit. Illustria sunt, ad ejus famam, varia quae edidit Decreta, pro Ecclesiastica disciplina retinenda, variaeque ob eandem causam epistolae. Magni quoque habenda, quae praestitit in defensionem sanctissimi Constantinopolitanae Ecclesiae Praesulis, per adversa quaeque Confessoris invicti, aurifluaque eloquentia incomparabilis, Joannis Chrysostomi. Multa exsilia passum, amantissimis litteris, Constantinopolitanum quoque populum in Pastoris aerumnis propriam jacturam lugentem solatus est, egitque viri omni ex parte inculpabilis causam

Ruffini mentem in Origenis libris latine reddendis non plane assequeretur. Indubitanter aequae excipiendum videtur testimonium Hieronymi de novis contra Ruffinum litteris a Pontifice in Orientem missis, quae tunc fortasse datae fuerunt, cum Pontifex, et eidem conjuncti Occidentales Episcopi sententiam Alexandrinae Ecclesiae Theophilo concreditae in Origenem editam recepere.

apud Honorium Caesarem, nec amico aut vivo, aut vivis erepto unquam defuit. Neque minorem praestitit animum in reconciliandis Antiochena, et Orientalibus Ecclesiis, quamobrem datae sunt Epistolae ad Alexandrum Antiochenum, Acacium Beroeae, Maximianum Macedonem, et Bonifacium Presbyterum. Sed haec omnia longe superat insignis Pelagianae impietatis damnatio, in qua paullisper pro rei ipsius momento immorari, nemo non indulgeat. Convenerant enim anno 416. Carthaginem Africani Episcopi octo, quod videtur, supra sexaginta, ut haeresim late serpentem cohiberent, et vulnus, antequam inveterasceret, ab Ecclesia exciderent. Variis in modum propositis, variisque decretis, Epistola ad Innocentium perscripta est, in qua ea omnia praefati adversus Divinae gratiae osores transacta in Carthaginiensi Ecclesia etiam atque etiam rogant, ut, cum de omnibus diligenter agnitum sit, sententia prodeat, unde Ecclesia tota laetetur. Ejusdem exempli litteras accepit Innocentius a Numidis Episcopis Milevi congregatis, ut tantum malum non amplius ad multorum pernicies latius manare pateretur; queis demum alia accessit Epistola a quinque Episcopis accurate admodum conscripta, in qua Pelagii fraus, et anceps verborum sensus, detegebantur. Hinc Innocentius de tanto Africanae Ecclesiae erga Religionem studio mire laetatus. Singula dat responsa, ac primo Carthaginiensi Synodi sollicitudinem, ac doctrinam, commendans,

sententiam quoque de propria eruditione confirmat, et Pater, effusa in omnes charitate, poenitentibus refugium minime obstruit, imo, ubi resipuerint, et ad ovile redigantur, communionem Ecclesiae pollicetur. Ipse vero prope Principatus exactis scienter pieque Pontificatus annis prope quindecim desideratus est (62).

§. VI.

Zosimus.

—

Zosimum, qui proximus Innocentio successit, rerum gestarum magnitudine citius quam annorum

(62) « Innocentius natione Albanensis ex patre Innocentio » scribunt Cat. II. et Liber Pontif. apud Schelstr. T. I. Antiq. p. 465. Plura de hoc Pontifice leguntur in Anastasio T. III. p. 67. Optime ajebat Guillelmus Cuperus, se nescire cur nonnullis placuerit adsignare huic Pontifici, sedis annos XV. M. I. D. X, vel an. XIV. M. XI. D. XXI. ut habet Papebrockius in suo Conatu hist. cum Catalogus pictus ad S. Pauli, 5. saeculi monumentum, clarissime habeat An. XV. M. II. D. XX. ut ap. Lazeri p. 24., quod idem signatur ab Anastasio loc. cit. p. 67. et in omnibus fere catal. ab Blanchinio relatis T. II. p. cvii. cui sententiae assentitur Schelstratius T. I. Antiq. p. 300. et 465. Quare quamvis Beda in suo martyrologio signet « IV. idus Martii B. Innocentii Papae, qui rexit Ecclesiam an. XV. menses II. dies XXI. » tamen nos Anastasii alior. cit. sententiam sequentes, dicimus sedisse Innocentium I. an. XV. M. II. D. XX. Hic autem adnotare praestat, Norisium plurimis demonstrasse argumentis Innocentium fatis cessisse die 12. Martii an. 417. vid. ejus historia Pelag. T. I. lib. I. c. XI. p. 110. Epistolas Innocentii collegit Coustantius, ex quibus celebriores, communi eruditorum sententia, censentur ad Victricium Rothomagensem, ad Synodum Toletanam, ad Exsuperium Tolosanum, ad Rufum Thessalonicensem, nec non ad alios Macedoniae Episcopos, et ad Decentium Eugubinum.

numero, et ex iis, quae praestitit in causa Pelagii, et Caelestii, potius quam ex praeconcepta a veteratoribus callidissimis opinione dijudicabis. Cum enim Innocentius eadem charitate, qua Deus errantes omnes vult reverti, Ecclesiasticam communionem resipiscentibus in suis Epistolis semel atque iterum obtulisset, et Caelestius Romam, submissum affectans animum, venisset circa annum 417., redditis Zosimo praeterea epistolis Pelagii ad Innocentium sese vaferrime purgantis, parum abfuisse videtur, quin uterque alienis criminibus oneratus, et Catholicus, apud Pontificem crederetur. Africani Patres prae omnibus conquesti sunt, quod nimiam fidem acutis cujusque rei simulatoribus adhibuisset, Conciliumque vocandum existimarunt, ut larvam discuterent, sinceramque erroris faciem detegerent. At hic quoque aliquid amplius quaestionis aestus, quam judicii maturitas, aliquid amplius conventus ille, quam Ecclesia Romana pateretur, sibi sumpserant. Hinc rescriptum a Zosimo, se temere, et inconsultis Clero, atque Episcopis, Romae se habentibus, nihili omnino egisse; neque enim, uti se exprimit, sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disputari judicio. Atque, ut nullus superesset obtrectationi locus, novam disquisitionem de Caelestii, et Pelagii doctrina, novumque judicium indixit, et deterrima illa causa subtilius perpensa, et a Clero, populoque universo damnata, solemniori tunc quoque sententia concidit. Ipse Zosimus in Tractoria,

ut appellare placuit, copiosissimas animadversiones PP. Afrorum in Pelagiana placita, et Scripturarum sententias ab eis allatas enucleat, diserteque exponit: unde Marius Mercator ea aetate florens asserere non dubitavit, Caelestium a Zosimo scriptis amplissimis, vel longissimis damnatum esse, in quibus et ipsa capitula, de quibus accusatus fuerat, continentur. Ast diutino morbo conflictatus, demum confectus illius rei curam abrupit, et successoribus reliquit (63).

§. VII.

Bonifacius.

—

Bonifacii successoris electionem perturbavit Eulalius, qui Symmacho Praefecto Urbis, et factiosorum manui innixus, in eundem honorem irrepsit; eoque, adnitente Symmacho, progressus est, ut Bonifacius ex Urbe discedere, et in Basilicam S. Pauli

(63) « Zosimus natione Graecus ex patre Abramio » legimus in textu Anastasii ap. Blanch. T. III. p. 79. De annis sedis videatur tabula cit. Blanchinii in nostra nota (58) de S. Siricio; ubi tribuitur Zosimo Pontificatus annus I. M. VIII. D. XXV. prout in cit. Anastasio, cui assentitur Blanchinius Catalogorum vetustiorum lectione commotus, Farensis Cavensis, ac trium Colbertinorum 1. 4. 5. In textu Anastasii habetur « hic multas constituit Ecclesias » quae verba legenda sunt cum Baronio « Hic multa constituit in Ecclesia» Vid. cit. Blanchinius T. III. Anast. p. 79. et seq. Sub hoc Pontifice enata ea fuit quaestio de appellationibus exagitata a Patribus Carthaginiensibus, quibus Zosimus produxit V. Canonen Sardicensis Concilii sub nomine Nicaeni, cum per ea tempora Concilium Nicaenum et Sardicense, unicum haberent Romani Pontifices, ad distinctionem Concilii Philippopoli ab Arianis celebrati; sed de hoc alibi.

se se recipere cogeretur. Licet vero Honorius commentitiis relationibus deceptus Symmacho magisquam Bonifacio, inclinaret, reclamantibus tamen Presbyteris, et Episcopis, aures praebuit, et Episcoporum convocationem primo Ravennam, majorem deinde Spoletum indixit, ut ab iis, ad quorum judicium pertinebat, controversia dirimeretur. Hac tamen cura antequam a plerisque iter susciperetur, exsoluti sunt, nam Eulalius legum omnium contemptor, Urbem repentino impetu ingressus seditionem miscuit, et in exsilium actus intollerandae temeritatis poenas suscepit; Bonifacius e contra munus suum summa animorum omnium concordia obivit, parilique laude retinuit, et hoc pacto (uti se exprimit Largus Proconsul in Epistola ad Episcopos de soluta Synodo commonefaciens) « *de merito Sacerdotis, quem Dominus idoneum* « *probavit, sublatum est certamen* » (Vid. ap. Baron.) Idem Bonifacius litteras PP. Concilii Carthaginiensis accepit, queis renunciabatur, Appiarium de erroribus suis omnibus veniam petentem communioni restitutum, Siccensem tamen Ecclesiam, ne novis rumoribus praeberetur occasio, relinquere coactum, atque omnia exponebantur, quae hucusque in Concilio acta fuerant. Ab Augustino, qui in Africa totius Ecclesiae causam adversus Pelagianos agebat, plura honoris, ac obsequii testimonia, quatuor praesertim illius libros adversus Julianum sibi inscriptos accepit, queis S. Doctor honorificentissi-

ma erga Bonifacium verba praehabet, aitque, se licet absentem hominem tamen optime nosse «*fama celeberrima praedicante*». Denique in omnibus ita se praestitit, ut supremum perturbatis Pontificatus initiis Divinae voluntatis numen manifeste comprobaret (64).

§. VIII.

Caelestinus.

—

Nullo discrimine e contra, nulloque tumultu, datus est Rector Ecclesiae Dei, post obitum Bonifacii, Caelestinus, cui amplam pastoralis sollicitudinis, atque auctoritatis occasionem Nestoriana haeresis suppeditavit. Nestorius naturali, ut scribit Socrates,

(64) » Bonifacius natione Romanus ex patre Jocundo Presbytero » ita in textu Anastasii ap. Blanch. T. III. p. 85. Inter Bonifacium et Eulalium Ecclesiae Romanae Archidiaconum ortum fuisse schisma, tradit idem textus cit. Anastasii. Eulalio favebat Symmachus Urbis Praefectus, qui Honorio Ravennae moranti scribens, eum tanquam legitimum Pontificem depinxit, Bonifacium vero tanquam intrusum, et illegitimum; quare coactus fuit Bonifacius Roma discedere: sed eum Urbi restituit ipse Honorius, et Symmachi fraudibus detectis Eulalium veluti refractarium expulit. De annis Pontificatus haec habentur. Pontificatus exordium ducitur plerumque a consulatu Monaxii et Plinthae, et juxta Martyrologium Florentini dies Ordinationis signatur 29. Decembris, Pontificatus ultra triennium processit, obiit an. aere Chr. 422. potiusquam 423. cum ex supputatione annorum S. Caelestini I. ad an. 422. devenire debeamus, quo exorditur Caelestini Pontificatus; Bonifacii tandem depositio signatur die 4. Septembris juxta cit. Martyr. Flor. Sedit igitur Bonifacius annos III. M. VIII. D. VI. Videatur Blanchinius T. III. Anast. p. 86. Catalogus depictus ad S. Pauli signat an. IV. M. IX. D. XIII., sed nescio quo fundamento.

(L. VII. Hist. Eccl.) facundia praeditus, cui plurimum ad doctrinam, nihil ad calliditatem et pertinaciam deerat, duas in J. C. personas excogitans, et Christum solvens, nomenque Christiparae pro Deipara impie subjiciens, multos in suum errorem pertraxerat, multosque, quadam virtutis specie, scriptisque nonnullis, miserrime detinebat. Doctrinae novitate offensus Cyrillus Alexandrinorum Patriarcha, pestifera hominis consilia Theodosio Imperatori et Caelestino Pontifici revelavit, ad quem Nestorius litteras officii ac obsequii plenas, quasi decipula, gratiam aucupaturus emiserat. Qui vero, rei pravitatem probe perpendens, ut maturum, solemneque judicium eidem aequaret, Synodum Romae in discussionem adhibuit, qua diligentissime habita, contra Nestorium, nisi seipsum damnaret, damnationem, et depositionem indixit, et fidei Cyrilli satis perspectae, et in dies inclarescenti reliqua omnia ad sententiam pertinentia commisit. Hisce veluti facibus mirum in modum succensus Cyrillus incredibile dictu est, quo ardore infensissimum hostem persequutus sit, simulantis, dissimulantisque larvam dejecerit, calumnias coercuerit, maledicta refutarit, et Synodo Episcoporum praeses « coactus, ut se exprimit, per Sacros Canones, et Epistolam SS. Patris Caelestini » Nestorium ab omni gradu et communione submovens vulneri tandem excidendo egregiam operam dederit. Nemini dubium, aut obscurum

cessisse haec omnia in ornamentum Caelestini, qui ideo a PP. Ephesinae Synodi Paulus alter, et Fidei Custos meruit conclamari, Paulique zelum emulatus, Theodosio hisce verbis memoria dignissimis scribere non est veritus = Major vobis fidei causa esse debet, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. = Non eadem animi constantia adversus Pelagianos desiderata est, quorum antesignani Italia expulsi, iterationem judicii efflagitabant, et dum serpentem in Britanniam haeresim insectatur, adjectam Britanniae insulam Catholicae Ecclesiae parit; obsignatis etiam Novatianorum Ecclesiis, quae plures Romae erant, deturbata quoque, obsignataque eorum conventicula existimavit. Denique cum Episcopalem dignitatem ab impio Nestorio ad Maximianum magna voluptate perfusus devenire vidisset, huncque, veluti in signum prostratae haeresis, rite ordinasset, ad supernum virtutum suarum praemium anno 432. assumptus est (65).

(65) « Caelestinus natione Campanus ex patre Prisco » habet textus Anastasii ap. Blanchinium T. III. Anast. p. 92. Ast Baronius, Romanum facit Caelestinum. De annis sedis audiamus Blanchinium in T. III. Anastasii p. 93. et seq. qui Pontificatum Caelestini, Xysti, et Leonis in unum supputans, chronologicam tabulam exaravit. Sic ait cit. auctor « Caelestini, Xysti, et Leonis aera Pontificia demonstratur ex die natali, sive ordinatione Hilari, qui Leoni successit. In actis Concilii Romani anni 465. COSS. Fl. Basilisco, et Herminerico, et in epistola Hilarii iisdem COSS. data cum referatur anniversaria dies ejusdem Ordinationis Episcopalis ad XIX. Novembris quadriennio ante il-

§. IX.

Xystus III.

—

Successit in Petri Sede Xystus hujus nominis Tertius, expressa totius Ecclesiae consensione, ho-

lud Concilium (quippe COSS. Severino et Daglaifo anni 461. ejus initium signatur a Marcellino in Chronico una cum morte Majorani Augusti, quam Severino Consule contigisse constat etiam ex epistola XI. Sidonii lib. 1.) ex illa die Dominica 19. Novembris 461. natali Cathedrae Hilari, attributo unicuique ex ejusdem decessoribus, recedendo in anteriora usque ad Bonifacium, spatio temporis illorum sedis in monumentis expresso, et imputato vacationi sedis intervallo dierum singillatim attributo post ipsorum decessum, summa temporis constat. Sunt autem haec spatia et intervalla in Anastasio aliisque scriptoribus recensita.

Ex			A.	M.	D.	
4. Septemb.	422.	Obitus Bonifacii. Vacat sedes	0.	0.	9.	Biblioth.
12. Septemb.	422.	Ordinatio Caelestini qui sedit	9.	10.	9.	Biblioth.
21. Julii. . .	432.	Obitus Caelestini vacat sedes	0.	0.	20.	Biblioth.
10. Aug. . .	432.	Succedit Xystus per	8.	0.	19.	Biblioth.
29. Aug. . .	440.	Mors Xysti III. Vacat sedes	0.	0.	12.	Biblioth. in Cod. Florent. S. Marci.
8. Septemb.	440.	Ordinatio S. Leonis M., qui sedit	21.	1.	26.	Biblioth. et reliqua documenta.
10. Novemb.	461.	Obit. S. Leo. M. Ejus autem depositio dilata ad diem X., quae in Martyrol. Florentinii eadem die legitur				
16. Novemb.	461.	Eligitur S. Hilarus, cum sedes vacasset.	0.	0.	7.	Biblioth.

Hoc habetur apud cit. Blanchinium. Sub Caelestino Nestoriana haeresis orta est, ab eodem Pontifice in Concilio Romano ante Ephesinum condemnata. Haec autem videantur ap. eund. Blanch. T. III. p. 97. et seq.

nestantibus ordinationem ejus duobus Episcopis, a Cyrillo Alexandrino legatis, qui Orientalium Ecclesiarum partes gererent. Cum nihil animo altius haereret, quam pax, et concordia Christiani populi, Nestorianae, Pelagianaeque labis reliquias omni ope abolendas curavit, quo factum est, ut variis calumniis, quas afferre minime interest, ab haereticis ejus nomen discinderetur. Pax et reconciliatio, quam percupiebat, studio, ac patrocinio Theodosii II. Aug. properata fuit, dumque vir pientissimus initi Pontificatus anniversarium in Vaticana Basilica recoleret, exoptatum nuncium accepit. Pastoralis officii atque eloquii plena sunt, quae in tam felicem rerum eventum et S. Cyrillo et Joanni Antiocheno rescripsit, testimonia quoque insignis modestiae ac prudentiae, quam in hisce negotiis componendis prae se tulit. Neque robur ac constantia illi defecit, ut perspectum est adversus Nestorianos et Pelagianos, quorum vestigiis inhaerentem Julianum Episcopum, et ementitis coloribus Ecclesiam ludificantem, pergrata Catholicis omnibus sententia, sacris communibus amovit. Haec extrema pro Christi sponsa praestitit cum anno 440., ut criticis indubium manet, ad caelum translatus esset. (66).

(66) « Sixtus Tertius, natione Romanus, ex patre Sixto » scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 104. De annis sedis videatur sup. nota (65) ubi de S. Caelestino. Idem Anastasius tradit « Sixtum a quodam Basso ex-Consule incriminatum fuisse ». « Quod nempe (ait Ciacconius apud Blanch. cit.) virginem Monialem, Chrysogonitem nomine, diceretur violasse; quapropter ipse Pontifex sponte voluit suam

§. X.

S. Leo Magnus.

Dies supra quadraginta Antistitem suum desideravit Ecclesia, moerorisque solatium invenit in Leone Diacono, qui dum instaurandae inter Actium et Albinum concordiae causa Galliis se se habebat in demortui locum per publicam legationem accitus est. Is non modo famae, quae eximia de eo erat satisfecit, imo vero plurimum addidit, auctus ob rerum gestarum excellentiam cognomine Magni. Pauca ex iis multis quae praestitit attingemus, eaque praecipua, cum nec operis ratio nec otium suppetat omnia persequendi. Primi se se offerunt Manichaei duorum sibi adversantium principiorum assertores, qui durum Vandalorum imperium in Africam pertaesi Romam se contulerant, ibique caetus agere, sodales adscribere, libellos suos incautis praebere. Ad eorum incunabula et latebras usque pervenit sedulus haeresum investigator Leo

in synodo causam judicari. » Hanc vero historiam in libro Pontificali relatam suspectae fidei habemus, cum Pagi ap. eund. Blanchinium. Hic Pontifex instauravit, et quasi de novo struxit Basilicam Liberianam ab Liberio fundatam; ubi musiva, quae Novi ac Veteris testamenti historias repraesentant, id ostendunt, et Arcus triumphalis exhibet nomen, ac dedicationem Pontificis hisce verbis XYSTUS EPISCOPUS PLEBI DEI. Cetera de hoc Pontifice vide ap. cit. Blanchinium T. III. Anastasii p. 109; et seqq. ubi de translatione sacrorum Cunabulorum, ac praesepis D. N. J. C., et corporis S. Hieronymi.

et conventiculis detectis, codicibus incensis, hominum ingenia et molimina revelavit, cohibuitque; quae non modo Urbi sed universo Orbi plurimum profuisse scriptores concorditer asserunt, cum ex captorum confessione, patefactum sit qui Doctores eorum, qui Episcopi et Presbyteri, quaeque Provinciae ac Civitates ejusmodi haberent alumnos. Implorata quoque a Leone Valentiniani Aug. ope, statim edictum est. " (*Nov. Lib. II. Tit.* 2.) ut ubicumque terrarum quisquis Manichaeorum fuerit deprehensus, paenas, quas in sacrilegos jura sanxerunt, auctoritate publicae severitatis exciperet,, Additaque severitatis defensione " Neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit,, Haud parvam operam damnando in Hispania Priscillianistas Ecclesiae navavit, incomparabilem vero et praeconiis omnibus ornatam in Eutychetis mente evolvenda, in ejusce consiliis infirmandis, in rimulis, quibus callidissimus hostis subterfugiebat, praecludendis. Quid Chalcedonensi Concilio honoris et laudis sit, id a strenuo Ecclesiae vindice ac magistro Leone tamquam e fonte, repetitur; quidquid acute excogitari, diserte in Eutychianorum commentum exprimi poterat, id memoranda Leonis Epistola ad Flavianum eloquitur, quae tanti habita est, ut velut ipsius D. Petri Epistola a Chalcedonensibus PP. recepta sit. Pelagianos in provincia Veneta et

Aquilejensi dioecesi impune grassari minime sivit, et ad pristinam Ecclesiae disciplinam vel restituendam vel confirmandam animum adjungens, egregias laudes, quas in externa Fidei dilatatione, in pacis conciliatione, in aerumnarum occursu, in Ecclesiasticae libertatis vindicta sibi pepererat, illustravit. Et qui ad Romanam Sedem accitus fuerat dum in privatam Praefectorum, ut superius innuimus, pacificationem interponebatur, pacifera officia numquam dimisit, sed per annos viginti et unum in exortis turbis, in motibus hac vel illac concitatis, auspicio illo quasi permotus diligentissime praestitit. Quae pro Christi Fide conscripsit nihil ad doctrinam pietatemque requirunt; nihil vero ad nitorem, et ad eruditionem Editio quae illius operum a Balleriniis fratribus anno 1756. Veronae facta est (67).

(67) Ante Ballerinios fratres Leonis vitam et gesta persecutus est Paschasius Quesnellus cum quo tamen sunt conferendi laudati Ballerinii qui Leonis operum editionem citatam auctius et emendatius recuderunt tribus tomis. De patria hujus Pontificis disputant eruditi. Alii Hetruscum faciunt, Romanum alii. Quid sequendum, videamus. Baronius quem plurimi sequuntur, eum dicit Hetruscum. Volaterrani inter suos cives adscribunt, nescio quo argumento; vid. Henschenius T. II. Apr. p. 16. n. 12. Perusini, et Cortonenses sibi adjudicant, inscriptione quadam innixi, et membranis incerti auctoris, et temporis; vid. Papebrockius in Conatu Pontif. p. 151. n. 1. juxta edit. Ven. Haec opinio ducitur ex Catalogo II. ap. Schelstr. T. I. antiq. p. 470. et ex Anastasio in Leone T. III. ap. Blanch. p. 141., etsi Blanchinius T. I. in lect. variant. tres afferat codices Regium, Mazarinium, et Thuaneum, habentes *Natione Romanus*, quidquid dicat Pagius in Critic. n. 3. A. 440., qui vult eos codices depravatos a *Librariis* et *Sciolis*,

nullo autem valido pro sua sententia deprompto argumento, cum nos eadem ratione depravatos dicere possemus Catalogum 2., et Anastasii textum. Hisce praehabitis, magni faciendam esse puto auctoritatem S. Prosperi supparis scriptoris, qui ea, quae hunc Pontificem spectant, ignorare haud potuit. « Defuncto Sixto Episcopo, ait, quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit... Igitur Leo Diaconus legatione publica accitus (*e Gallia*) et gaudenti PATRIAE praesentatus XLIII. Romanae Ecclesiae Episcopus ordinatur » in chron. ap. Hieronymum T. VIII. edit. Veron. al. cit. p. 852. ad an. 444. Uterque Pagius voce *Patriae* indigitatam fuisse dicunt *Italiam*; hoc tamen sensu nullus antiquus Scriptor eam vocem usurpavit. Ipse Leo idem testatur in ep. ad Pulch. XIII. juxta antiq. edit. et XXVII. juxta Quesnell. « PATRIAM, et Sedem Apostolicam velle deserere (ait S. Leo), ac charitati et precibus se negare civium suorum etc. » dum invitatus fuerat a Theodosio ad Concilium Ephesinum. Vidd. Fabianus Justinianus in *materiarum indice*, editor Gallus Opp. S. Leonis in diss. de vita ipsius; Caveus ad Leonem I. an. 440. in Hist. Literar. Natalis ab Alex. saec. V. art. 6. Tillemontius T. XV. p. 414. edit. Ven. Muratorius T. III. Ann. Ita ad an. 440. asserens « *di Patria piuttosto Romano che Toscano* » Visionem sacerdotis, quam habuit Attila Leonem allocutus, referunt antiqua Breviaria, et Paulus Aquilejensis Diaconus (floruit saec. VIII.) in historia Miscellanea liber XV. (forsan est liber XV. Eutropii) etsi in aliquibus editionibus haec visio non referatur. Vid. in edit. Parisiensi 1531. p. 19. lib. XV. Eutropii, qui V.us est, ex additis a Paulo Diacono, cf. Eutropii altera Parisiensis editio an. 1564. p. 197. lib. 5. Tillemontius de hac visione dubitat T. XV. p. 751. in fine. Decretum, quod dicitur ab eo lectum de non velandis virginibus, nisi quadraginta annorum virginitatem probassent, a nullo veterum scriptorum S. Leoni I. tribuitur. Antequam de annis Pontificatus verba faciamus, praemittendum, sententiam magis receptam esse, quae statuit diem X. Novembris pro die obitus S. Leonis. Vidd. Florentinius ad Martyrol. Hier., Tillemontius T. XV. p. 825. et in nota 73. p. 932. Henschenius T. II. Aprilis die 11. p. 15. n. 4. et 5. et p. 16. n. 9. Sollerius, et Georgius in suis martyrologiis ad diem XI. Apr. Omnes fere conveniunt in adsignandis Pontificatus annis XXI. et M. I. Vid. Papebrockius in Conatu p. 153. n. 5. Discrepant potius scriptores in diebus. Catalogus 2. scribit « sedit annos XXI. M. I. D. XXIII. » ap.

§. XI.

Hilarus.

—

Maximum, Ecclesia Catholica in Leone praesidium amisit, non exiguum nacta est in Hilaro, qui eidem successit, et obitis legationibus sub eo inclaruerat. Hic enim nullum acceptae institutionis fructum esse sensit, nihil ab usu rerum magistro esse perceptum, si ad Leonis zelum, ad disciplinae custodiam, ad fortitudinem invictam non accederet, si quae adversus haereticorum perfidiam decreta fuerant de sua etiam auctoritate minime tueretur (68).

Schelstr. T. I. p. 470., eadem habet codex Florentinus Anastasii ap. cit. Schel. p. 471. In vulgato Anastasii habentur dies XXVI. id tenet Blanchinius T. II. Anast. p. cxiv. et T. III. p. 145. col. 2. Papebrockius dies XXIII. Uterque Pagius, et Tillemontius dies XIII. Hanc postremam sententiam tenemus, calculis subductis, ut dies consecrationis posset constitui. Unde dissentimus in hoc a Blanchinio in tabula a nobis proposita in nota sup. (65) ubi de S. Caelestino.

(68) « Hilarus natione Sardus ex patre Crispino » scribit Anast. ap. Blanch. T. III. p. 162. Calaritanum faciunt Scriptores. De aera Pontificali cum Blanchinio loc. cit. p. 164. dicimus regnasse an. VI. M. III. D. X., ut refert etiam Catal. depictus S. Pauli. Videatur nostra nota (65) de Caelestino. Obiisse die 21. Febr. referunt cum Florario Sanctorum, martyrologia Maurolyci, Galesini, et Canini a Bollando cit. Nos vero cum Bollando minime convenimus quoad annum obitus. Ille signat an. 367., sed ex epistola Gelasii Papae ad Episcopos Dardaniae desumimus fatis cessisse an. 368., cum ibi legamus S. Hilarum Anthemio restitisse, qui, ut ait Blanchinius loc. cit. p. 164. col. 2. « levatus fuit Imperator pridie Idus Aprilis, Prisco,

§. XII.

Simplicius.

Simplicii, qui Hilaro suffectus est, fides et virtus se valde probavit cum arrogantiam et praetenta Episcoporum Urbis Constantinopolitanae jura nil pensi habuit, et cum in acerbo Catholicae fidei discrimine, Principibus plurimis haeresi famulantibus, Sacerdotem qui *suffulsit domum qui corroboravit Templum* perfecte gessit. Hinc Petrus Moggus Alexandrinae sedis post obitum Timothei Æluri captator, et haeresum ac scelerum ignominia affectus a vigili rei sacrae Custode damnatus est, et omnia quae in Fidei dedecus, saeviente Basilisco, ab Æluro prodierant, abrogata, Pontificia mandata exhauriente Acacio, cujus fides adversus Basiliscum se satis explicaverat, atque utinam intemerata perstitisset. Verum quia simultates cum Joanne Talaja Alexandrinorum Pontifice exercebat, malorum illuviem ciere ac fovere caepit, et Zenoni innixus in Alexandrinam Sedem, a qua dejiciendum curaverat, Petrum Moggum iterum injecit, in Antiochenam Petrum Gnaffeum. Ejus consiliis debetur He-

et Joanne Consulibus, ut scribit Chronographus a Cuspiniano editus, observante Pagio juniori ad vitam Hilari num. XII. adstipulante etiam chronico Paschali iisdem Consulibus » S. Hilarum confirmasse tres Synodos Nicaenam, Ephesinam, et Chalcedonensem, tradit Anastasius ap. Blanch. l. c.

noticon illud Imperatoris, quo nihil synodo Chalcedonensi iniquius (69).

§. XIII.

Felix II. alias III.

Detestatus Henoticon Felix II. vel III., cui post Simplicium Principatus Ecclesiae obtigerat, nil magis in votis habuit, nil vehementius contendit, quam ut Caesar in rectum tramitem reduceretur. Ejus justitiae, ac zelo testimonio praeterea esse possunt Vitalis et Misenus Episcopatu ornati, et deinde amoti eo quod Legati a Pontifice in Urbem regiam, fidei praevaricatores habiti sint; testimonio item et Acacius et Petrus Moggus, et Gnaffeus ob haereticam perfidiam sacris communibus prohibiti, posteaquam Talajas Nolanae Ecclesiae in Campania Rector est datus. Quas inter curas, et orientalis plagae negotia Africanae Ecclesiae ab Hunnerico

(69) « Simplicius natione Tiburtinus ex patre Castino » scribit Anast. T. III. Blanch. p. 169. De annis sedis habet Anast. an. XV. Dies VII. Catalogus depictus S. Pauli An. XV. Dies VI. Baronius An. XV. M. V. D. X. Pagius concordat cum catalogo S. Pauli. Catalogus Reginae Sveciae ap. Schelstr. signat an. XV. M. I. D. VII., cui favet Codex I. Vallicellanus, ut apud Marangonium p. 27. Ast sententia Bibliothecarii concordat cum antiquissimis catalogis, etsi, ut ait Blanchinius, Farfensis, et tres Colbertinii ap. Pagium addant mensem I. Nos putamus sedisse an. XV. D. VII. Simplicium damnasse Petrum Alexandrinae Urbis Eutychianistam haereticum, scribit Anastasius cit. ap. Blan. p. 170. Schisma Acacianum sub hoc Pontifice in Ecclesiam irrupit, et perduravit ad Hormisdae tempora usque.

dire vexatae haudquaquam oblitus est communis Fidelium Parens. Ægerrime enim ferebat Hunnericum Arianum Regem compilationes, quibus ejus avaritia saturata non erat, in Ecclesiae bona convertere, crudelitatem vero in Virgines Deo devotas quas per Vandalos suos immani supplicio dedit, in invictum Christianorum agmen quod exilio et morte pressit, totam expromere, Africam denique universam ad Arianam impietatem vocare. Hisce cognitis felix litteras ad Zenonem Aug. misit hortans et orans, ut tyrannum placare, et cladem Catholici nominis prohibere conaretur; at pontificia auctoritas spreta, legatio ludifacta. Ut autem persecutio resedit et ingens ad Eugenium Episcopum Carthaginiensem poenitentium concursus factus est qui persecutioni cesserant, et veniam Ecclesiae postulabant, Felix ab Eugenio de omnibus edoctus Romae concilium habuit convenientibus ex Africa nonnullis Episcopis, Canonesque praescripsit ex quorum norma lapsi admitterentur (70).

(70) » Felix tertius natione Romanus ex Patre Felice Presbytero, de titulo Fasciolae » ita scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 180. Sedisse in Pontificatu an. VIII. M. XI. D. XXIII. idem testatur, sed catalogus depictus ad S. Pauli ap. Marangonium dum concordat in annis, et mensibus, signat tamen dies XVIII. quod apparet etiam in aliis catalogis, in quibus forsan amanuensium errore pro XXVIII. signatum est XVIII. suppressa litera priori X. ut suspicatur Blanchinius; quare arbitramur, sedisse in Pontificatu an. VIII. M. XI. D. XXIII. A nonnullis hic Felix III. dicitur II. nolentibus inter Pontifices adnumerare Felicem II. qui floruit tempore Liberii.

§. XIV.

Gelasius

—

Hujus exempla plurimum valuerunt apud Gelasium, de cujus honore mire laetata est Africa unde ortum habuit. Spem omnem catholicae communionis ademit Euphemio Antistiti Constantinopolitano, aliisque Episcopis Orientalibus antequam Acacii nomen e diptycis abraderent; Misenum e contra Apostolicam gratiam efflagitantem absolvit, recepitque. Accedunt ad illius laudem Pelagianorum haeresis in Dalmatia reviviscens diris ab eo devota, scriptisque editis refutata, Lupercalia festa, vesanum superstitionis genus, penitus ablata, et Manichaeorum progenies quaedam explorata, et disjecta. Hunc ferunt septuaginta Episcoporum Concilium Romam coegisse, in quo scripturarum Canonem, concilia generalia, et SS. Patrum scriptiones ad studiosam animadversionem revocaverit, et firma ab infirmis, genuina ab apocryphis per Apostolicum Decretum dijudicaverit: obstant tamen viri, quorum eruditio haud parvi pendenda videtur, et hujusce curae Gelasium expertem

Hic Felix III. erat de nobilissima domo Anicia postea Frangepanum dicta, et Atavus S. Gregorii M. ipso testante in hom. in Evang. 38. et l. 4. c. 16. Dialog. Condemnavit Acacium, de quo vid. Somier lib. VI. c. VI. et seq. Historiae dogmaticae S. Sedis. Reliqua videsis ap. Blanch. loc. cit.

volunt. Ceterum Africam quoque respexit, et Eugenium Carthaginiensem Episcopum qui rem Catholicam omni ope ibi restituendam curabat, indesinenter fovit, praeclaro ornavit elogio, et aliis Episcopis imitandum proposuit. Ultimus illi annus fuit 496 (71) successor vero Anastasius alter, de quo duas legimus epistolas, hortatoriam ad Anastasium Aug. ut nulla superesse Acaciani schismatis vestigia pateretur, et gratulatoriam ad Clodovaeum Francorum Regem, qui salutari lavacro nuper fuerat regeneratus. In vivis extitit usque ad mensem Novembrem anni 498. (72)

(71) « Gelasius natione Afer, ex patre Valerio » scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 194. Pontificatus initium assignatur Kalendis Martii anni 492. COSS. Anastasio, et Rufo, teste in chron. Victore Episcopo Turonensi, quasi coaevo, etsi Marcellinus aequalis scriptor signet COSS. Asterio et Praesidio. Nos vero cum Blanchinio Victori assentimur, et non Marcellino, laico viro, et tunc Constantinopoli degenti. Nonnulla exemplaria Anastasii, Catalogus Cavensis, et unus ex Colbertinis huic Pontifici tribuunt annos sedis IV. M. VIII. D. XIX. Catalogus depictus ad S. Pauli diem unum adimens, in reliquo concordat; alii autem Catalogi, cum ipso Anastasii ap. Blanchinium T. III. cit. adimunt dierum decadem. Juxta Bedam, et Usuardum, dies obitus statuitur 19. Novembris, et dies depositionis XI. Kal. Decembris, ut habetur in martyrol. Hieronymiano Florentinii p. 1053. Quare hisce assentientes, statuimus Pontificatus aeram constare ex annis IV. M. VIII. D. XIX.

(72) « Anastasius natione Romanus ex patre Petro de Regione quinta » habet textus Anastasii ap. Blan. T. III. p. 206. Annos sedis fuisse II. minus octo dies, putat Baronius, nos autem Anastasium, plurimosque codices, et catalogum depictum ad S. Pauli sequentes, dicimus sedisse an. I. M. XI. D. XXIV. cum satis ab Anastasio ap. Blanch. definiatur exordium Pontificatus, et exitus. Vid. cit. Blanchi-

§. XV.

Pontifices Saeculi Sexti.

—

Pertinent ad Saeculum sextum Pontifices Symmachus, Hormisdas, Joannes I., Felix III. vulgo IV. Bonifacius II., Joannes II. Agapetus, Silverius, Vigilius, Pelagius I., Joannes III. Benedictus I., Pelagius II. et Gregorius Magnus.

Symmachi electio (73) ob vices quas habuit,

nius in notis chron. p. 208. et seq. De Scriptis in causa Acacii ac de iis maxime quae Felicem III. et Gelasium pertinent agunt Ballerinii fratres in tractatu de antiquis Canonum collect. part. 2. c. XI.

(73) « Symmachus natione Romanus, ex patre Fortunato » scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. cit. p. 212., etsi Baronius eum Sardum dicat. Vixisse in Pontificatu annos XV. M. VII. D. XXVII. arbitramur cum catalogo depicto ad S. Pauli ap. Marangonium p. 29., et Blanchinio T. III. p. 213. Cum Symmacho electus fuit Romanus Episcopus Laurentius, Fausti Anastasii Imp. Legati favore, ut Laurentius Zenonis Henotico subscriberet. Vidd. Theodorus Lector lib. 2. collect., et Nicephorus l. 16. c. 36. Verum Theodoricus declaravit, ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima agnosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica, atque ita Symmachus regnavit, et Laurentius ab incaepto cessavit munere. Symmachus in Concilio Romae celebrato multa sancivit, quae referuntur ad electionem Romani Pontificis, quae videsis apud Blanch. cit. T. III. p. 213. Plura tulit Symmachus, ob Festi, et Probini Senatorum perfidiam, quorum consilio Ecclesiae Romanae datus est, ut visitator, Petrus Alticinae civitatis Episcopus, postea ab Symmacho damnatus cum Laurentio, jam Nucerinae civitatis Episcopo. Plures martyrium oppetiisse tunc temporis, ob schisma ab Fausto excitatum, tradit Anastasius, « inter quos (ait Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 217.), Dignissimum, et Gordianum, Presbyteros ad vincula S. Petri Apostoli, et ad Sanctos Joannem et Paulum, quos fustibus, et gladiis interfecerunt, et multos alios Chri-

a tempore Athanasii repetenda videtur. Tunc enim Festus Senator amplissimus et Theodorici Gothorum Regis Legatus ad Anastasium Caesarem, cum ad mandata conficienda Constantinopoli se haberet fidem suam de suadenda Anastasio Pontifici subscriptione Henotici Zenoniani asseveranter obstrinxit. Frustra autem rationes suas secum deputabat, vixque Romam accesserat et Anastasii obitus, qui in dies illos inciderat, et conventus Electorum Pontificis eidem renunciabatur. Hinc omnis mentis acies, omnia studia eo statim defixa, ut in hominem sibi morigerum, et qui editae jam fidei satisfaceret, electio dilaberetur, et dum in Basilica Constantiniana per Clericos plerosque Symmachus, per caeteros vero in Templo S. Mariae, Laurentius Romanae Ecclesiae Archipresbyter Pontifex salutabatur. Inde animi civium distracti magno utrinque aestu efferventes, et in dirum belli civilis incendium flagrantes, quod ut cohiberet Theodosius Aug. illum praeferendum esse decrevit, quem prius, vel major Clericorum pars elegisset. Et utrumque cum optime Symmacho conveniret, optimo quoque jure, ejecto Laurentio, Pontificatus obtigit. Non tamen a Festo et a factiosorum agmine turbida consilia abjecta sunt, sed in novos conatus conversa, eo-

stianos, ita ut nulli esset securitas die, vel nocte de clero in civitate ambulare. » In catalogo ad S. Pauli S. Symmachus indutus exprimitur pallio recentioris formae, dum ante Symmachum strictius illud videmus.

que audaciae progressa, ut, revocato in urbem Laurentio, turpissimam Symmacho notam, quae eum a Pontificatu dimoveret, apud Theodoricum Romae morantem impegerint. Rex hisce stimulis incitatus potestatemque suam inaudito ab omni vetustate exemplo transgrediens Petrum Albini Episcopum, Apostolicae Sedis, ut vocitabant, Visitatorem constituit, indicitque Synodum, cui de Symmachi causa cognoscendum sit. Coacta anno 501. Synodus, quae Palmaris solet appellari, inculpabilem virum absolvit, graviaque comminatur Clericis qui adhuc Laurentio adhaerentes et schismati implexi Symmachum aversarentur. Hisce telis proposita Supremi Ecclesiae moderatoris virtus minime imminuta est, quae immo in re Christianorum administranda, libertateque asserenda, et in fidelibus levandis, illis maxime qui ab Africana persecutione in Sardiniam exulaverant, se totam explicuit.

§. XVI.

Alii Pontifices Saeculi Sexti.

—

Hormisdae (74), Joannis I. (75), Felicis III. (76) et Bonifacii II. Pontificum, qui post Symmachum Ecclesiae praepositi sunt, hae laudes praecipuae; magna in primis cura, magnumque studium, ut ad unitatem pacemque revocarentur orientales Ecclesiae, quae a Romana ad Acacium defecerant; assidui praeterea labores in delendis Semi-Pelagianorum reliquiis, qui centum annorum spatio Gallias

(74) « Hormisdas natione Campanus, ex patre Justo, de civitate Frisilone » scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 224. Vixisse in Pontificatu An. IX. D. XII. habet Blanchinius ap. Anast. T. III. in notis Chron. p. 228. col. 1., quamvis Anastasius ap. eund. scribat An. IX. D. XVII. Catalogus ad S. Pauli an. IX. D. XI., et in aliis codicibus, ab Marangonio p. 29. citatis, in diebus discrimen inveniatur. Nos cum Blanchinio addimus diem unum catalogo ad S. Pauli.

(75) « Joannes natione Tuscus ex patre Constantio » legitur in Cat. II. et in libro Pontif. apud cit. Schelstr. p. 493. et ap. Blanchinium T. III. Anast. p. 244. De Gestis S. Joannis I. vid. Papebrochius ad ejus acta sub die 27. Maii T. 6. Maji p. 709. n. 30. Muratorius T. III. Annal. Ital. an. 525. Plerique putant sedisse in Pontificatu annos II. M. IX. D. XIV., nos vero ex Anastasio, aliisque Catalogis apud Schelst., Papebroch. T. VI. p. 702. n. 1. et in Conatu p. 158., Blanch. in notis ad S. Felicem T. III. pag. 246. putamus, sedisse An. II. M. VIII. D. XVI. Reliqua videsis ap. S. Gregorium in Dialog. L. 3. c. 2. et lib. 4. c. 30.

(76) « Felix natione Samnius ex patre Castorio » Tradit Anastasius ap. Blanchinium T. III. p. 250. Juxta cit. Anastasium sedit An. IV. M. II. D. XIV. unico dempto die. Eadem chronologia legitur in Cat. picto ad S. Pauli, cui nos assentimur cum Catalogis Palatino-Vaticano, Farfensi, Lucensi, Cavensi, et Bergomati, ut ap. Blanchinium cit. in notis Chron. p. cit. col. 2. quare dicimus sedisse An. IV. M. II. D. XIII.

infestaverant, praeconia demum singularia Augustini nomini habita eo potissimum, ut in quaestionibus de Gratia Divina probatissimus Doctor, doctorumque parens numquam e conspectu amitteretur. Qui Bonifacium (77) in regimine Ecclesiae secutus est, Joannes hujus nominis Secundus (78) ratam habuit notissimam propositionem illam "Unus de Trinitate crucifixus est carne ,, quam Monachi Scythae totis viribus propugnabant,

(77) «Bonifacius natione Romanus ex patre Sigilbuldo» ita scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 253. In Felicis IV. locum subrogatur etiam Dioscorus, non sine simoniae nota, ut testatur Athalaricus Rex Joanni II. R. P. Mortuo Dioscoro, cessavit contentio. Perdurasse Pontificatum Bonifacii II. An. II. D. XXVI. praeter Catal. depict. ad S. Pauli, et Anastasium, tradunt omnes Catalogi. Fatis cessisse an. 532., et non an. 531., ut vult Baronius, demonstratur ex antiqua inscriptione, quae in nostra Basilica S. Petri ad Vincula adservatur, ubi legitur *iterum post Consulatum Lampadii et Orestis* idest. an. 532.

✠ SALBO PAPA. N. IOHANNE COGNOME
TO MERCVRIO EX SCE ECCL. ROM. PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT. SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP. PATRONO SVO A VINCVLIS EIVS SEVERVS PBOERT
ETIT. PC. LAMPADI ET ORESTIS. VV. CC VRBI ✠
CLVSCED RI NVS EST.

(78) « Joannes qui et Mercurius natione Romanus ex patre Projecto de Celio monte » haec habet textus Anastasii ap. Blanch. T. III. p. 258. Videatur nostra nota (78) ubi retulimus inscriptionem in nostra Basilica S. Petri ad Vincula adservatam. Annos sedis fuisse II. M. IV. D. VI. tradit Anastasius loco cit. ap. Blanch. Catal. depictus ad S. Pauli ap. Marangonium p. 31. signat an. II. M. IV. D. XXV. Nos sequimur Anastasii sententiam satis a Blanchinio defensam loc. cit.

quam Hormisdas injudicatam relinquere voluerat, et quam ubi Acaemetes admittere recusavissent, Ecclesiastica communione jussit esse privandos.

§. XVII.
Agapetus.

Minitantibus Italiam Gothorumque dominationem armis Justiniani Imperatoris factum est ut Agapetus (79), qui Joanni Secundo successerat, Constantinopolim, vel concordiae studio, vel ob suam erga Theodotum Regem Gothorum voluntatem ad pacem conciliandam se tulerit. Cumulatus officiis, quae personam magis quam rem sequebantur, nihil apud Caesarem proficere potuit; profecit tamen Ecclesiae Constantinopolitanae, quam ab Anthimo haeretico Eutychiano post mortem Epiphanii occupatam (huic sicut et Eutychianae familiae universae animos fecerat Theodora uxor Justiniani) suffecto Menna perspectae fidei viro, improbo usurpatore purgavit.

§. XVIII.
Silverius.

Pontifex processit Silverius e Campania or-

(79) « Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero, Clericus ad sanctos Joannem et Paulum » haec scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 262. Sedisse in Pontificatu Menses XI. D. XIX. tradit Anastasius, cui concordat Pagii, et Blanchinii sententia, quam nos sequimur, signantes cum Blanchinio diem ordinationis 6. Maji. 535. et obitus diem 25. Aprilis 536.

tus (80) in quo duo valde contraria ostensa sunt, secunda, praeterquam quod decere videretur, Principum gratia, immanisque usque ad exitium furor. Scriptoribus enim, qui de ejus electione verba fecerunt, arridere videtur opinio, non tam Cleri suffragia, quam Theodoti Regis nutum et auctoritatem in illius dignitatem conspirasse; qui vero repentinam conversionem fortunae, dirum aerumnarum impetum, mortemque ipsam pari animi magnitudine et constantia perferens Apostolici viri typum gessit. Ex Theodora Aug. omnis mali labes, cujus voluntati Christianis legibus infestae Custos gregis restitit: hinc a Belisario Justinianei exercitus imperatore, muliebrique cupiditati indulgente captus, et a Pontificia sede, quo Vigilius se ambitu ingesserat per vim abductus, Pataram in Lycia, deinde in insulam Pontiam relegatus est, ibique vel fame confectus, vel mandato Antoninae uxoris Belisarii jugulatus Martyr decessit.

(80) « Silverius natione Campanus, ex Patre Hormisda » legitur in textu Anastasii ap. Blanchinium T. III. Anast. in notis p. 267. Fere omnes conveniunt Silverium electum Pontificem fuisse die 8. Junii an. 536. ex diligentissimis chronologis constat, eum a Belisario in exilium pulsum an. 537. mense Novembri, et obiisse XII. Kal. Jul. an. 538. Sedit igitur ex dictis An. II. D. XII. vidd. uterque Pagius, alter in Critic. Baronii, alter in Vita Joannis T. I. p. 155. n. VI. edit. Luc. Schelstratius in serie Chronolog. T. I. Antiq. illustr. p. 321. ad an. 538. Blanchinius T. III. Anast. p. CIII. et in notis chron. ad Silverium p. 269. Reliqua de hoc Pontifice videsis ap. Papebrochium sub die 20. Junii T. IV. p. 14. et seqq.

§. XIX.

Vigilius.

Post haec Silverii fata, Vigilium (81) qui, eo vivo nec talia merente, pontificale munus captaverat, Clerus sive Belisarium sive lites ac bella reformidans suscepit et confirmavit. Qui vero antequam in Pontificatu constitueretur, Theodorae spoponderat Synodi Chalcedonensis reprobationem, redintegrationemque Anthimi et aliorum Acephalorum in pacem Ecclesiae, hanc postea deserens mentem Synodum probavit, et Agapeti sententiam contra Anthimum, et Acephalos vigere voluit. Idem prorsus cum haud semper proposito suo constaret

(81) « Vigilius natione Romanus, ex patre Joanne Consule » Scribit Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 274. Regnasse in Pontificatu an. XVII. M. V. D. XXVI. scribit Anastasius ap. Blanch. p. 274., a quo dissentit catalogus pictus ad S. Pauli, qui signat An. XVI. M. . . D. . . . discrepant etiam alii catalogi, in quibus vel includitur tempus, quo illegitime Pontificatum gessit, vel non; neminem enim latet, Vigilium Romanae sedis fuisse invasorem, et in locum Silverii intrusum, per vim depositi, et in exilium pulsi opera Theodorae Augustae, cui foeminae in animo erat Anthimum Episcopum CP. restituere. Ast, defuncto Silverio, Vigilius resipiscens, quin restitueret Anthimum, eum cum aliis haereticis anathemate perculit. Quo audito, a Theodora in exilium pellitur, et rediens Justiniani jussu, Syracusis in Sicilia obiit, calculi doloribus, ut refert Anastasius. Nos cum Blanchinio loco cit. putamus sedisse legitime in Pontificatu Vigilium Annos XVI. M. VI. D. XVII. et illegitime sedisse M. VII. D. II. computatis epochis. Vid. n. nota (76) Vigilius fuerat Apocrisarius Constantinopoli Papae Agapeti. Quaestio de tribus Capitulis videatur in capite de Conciliis.

in exagitata trium Capitulorum quaestione, inconstantiae, aut erroris, aut servilis demissique animi notam non effugit; abstergitur tamen eadem nostro quidem judicio, et deletur, si variae rei facies, si pondus, si animorum discordiae quotidie gliscentes, si hostium tergiversationes prae oculis habeantur, in quibus et pristinae cupiditatis expiandae occasiones quam saepissimas habuisse, et nihil porro Vigilium sine commentatione meditationeque properasse unusquisque fatebitur. Italiam rediens cum in Siciliam appulisset gravi repente oppressus morbo Syracusis substitit, fatoque concessit.

§. XX.

Reliqui Pontifices Seculi Sexti.

—

Subsecuti sunt Pelagius I. (82) Joannes III. (83)

(82) « Pelagius natione Romanus ex patre Joanne Vicariano » sic Anastasius, qui Pelagium sedisse testatur An. IV. M. X. D. XVIII. Eadem habet Catalogus depictus ad S. Pauli ap. Marangonium p. 33. cum quo plerique etiam catalogi concordant. Haec sententia fulcitur praesertim inscriptione sepulcrali Vaticana, de qua Baronius, Gruterus, aliique,

HIC . REQVIESCIT . PELAGIVS
QVI SEDIT . ANNOS . IV
MENSES . DECEM . DIES . XVIII.
DEP . IV . NONAS . MARTIAS.

Videatur Blanchinius T. III. Anast. p. 294. col. 2. in notis chron.

(83) « Joannes natione Romanus, ex patre Anastasio illustri viro » scribit Anastasius T. III. Blanch. p. 297. Quoad annos sedis, ob documentorum defectum, cogimur eos admittere, quos suppeditat Ana-

Benedictus I. (84) Pelagius II. (85) et Gregorius praeclaris rebus gestis Magni sibi nomen adeptus, qui summa animorum consensione incubuere, ut quinta Synodus reciperetur. Gregorius vero prae omnibus statim ac supremum illum honorem attigit ad Patriarchas Orientales omnes literas dedit, et pro antiqua consuetudine Catholicam in iis fidem, et cum quatuor prioribus Conciliis Oecumenicis parem Quintae Synodo reverentiam professus est. Quantum deinde summum Religionis studium, quo ad Pontificatum accesserat, in rebus omnibus ab eo gestis eminuerit, innumera praedicant testi-

stasius et Catalogus depictus ad S. Pauli, diei tantum unius discrimine. Anast. An. XII. M. XI. D. XXVII. et Catal. depict. An. XII. M. XI. D. XXVI.

(84) « Benedictus natione Romanus ex patre Bonifacio » haec habet Anastasius ap. Blanch. T. III. p. 302. Sedisse in Pontificatu An. III. M. I. D. XVIII. scribit ibidem Anastasius, sed discrepant plurimi catalogi, et codices, qui annos signant IV. M. I. D. XXVIII. Ita scribunt Catalogus depictus ad S. Pauli ap. Marangonium p. 34. Codex Farnes. 64. Regius, Mazarinus, et Thuanus, quibus et nos subscribimus - Decretales, quae sub nomine hujus Pontificis circumferuntur suppositionis vitio laborare judicat Sommier ap. Blanch. cit. p. 303.

(85) « Pelagius natione Romanus, ex patre Vinigildo » scribit Anast. ap. Blanchinium T. III. p. 304. Juxta Anastasium cit. sedit in Pontificatu An. X. M. II. D. X., juxta Catal. depict. ad S. Paul. ap. Marang. An. XI. M. II. D. X. Blanchinius in notis chron. loc. cit. p. 305. col. 1. ex Pelagii epistola recitata in Synodo apud Gradum celebrata, die 3. Novembr. 579. et ex Epistolis S. Gregorii M. satis demonstrat initium Pontificatus adsignandum esse in fine Novembris i. e. die Dominica 27. (ordinationis die) an. 578. et finem die 7. Februarii 590. Quare vixit in Pontificatu An. XI. M. II. D. X.

monia, habitae videlicet Synodi, Epistolae quoquoversus missae, instituta vel primum inlata vel servata, Monachorum regulae vel confectae, vel temporum et locorum usui redactae, coercitio rebellium, Istrici schismatis extinctio, contumacium Episcoporum demissio, veteris denique fidei, et sanctimoniae splendor et dignitas, tanto adjutore et auspice, qua retenta, qua revocata. Perturbantibus Africanam Ecclesiam haereticis Gennadium Praefectum militari gloria clarum in subsidium adhibuit: perturbantibus Donatistis, quorum nonnulli ad Catholicorum honores simulate obrepserant, id vitii detegit et gravissimis literis expungendum curavit. Constitutus super familiam Domini immortalia merita indelebili modestiae specimine illustravit, atque ut turgidum Joannis Constantinopolitani fastum, arrogatumque Oecumenici titulum retunderet, Servum Servorum Dei se primum literis inscribi voluit, quippe qui non de potestate dominante, sed de charitate serviente honeste tantummodo gloriaretur. Beatis insertum sedibus, elogiis honorisque testimoniis multi prosecuti sunt, praeclare vero Maurini PP. in illius Operum Editione Tom. 4. Parisiis an. 1705. (86)

(86) « Gregorius natione Romanus ex patre Gordiano » scribit Anastasius ap. Blanchinium T. IV. p. 1. Quae de hoc Pontifice narrantur, videantur in cit. Anastasio vulgato T. IV. pag. cit., et apud Bollandum T. II. Martii die 12. p. 121., et p. 130. ubi anonymi, sed synchroni vita ab Bollando datur, et apud Patres Maurinos in

§. XXI.

Pontifices Saeculi Septimi.

—

Pastores Ecclesiae habuit Saeculum septimum Sabinianum Bonifacium III. et IV. Deusdedit, Bonifacium V. Honorium, Severinum, Joannem IV. Theodorum, Martinum, Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, Donum, Agathonem, Leonem II. Benedictum II., Joannem V., Cononem, et Sergium. Sabinianum, (87) parumper habuit Apostolica Sedes, quae deinceps Bonifacium tertium (88), et

vita S. Gregorii operibus inserta. De Annis Sedis omnes conveniunt fuisse XIII. M. VI. D. X. Quaerunt nonnulli, an S. Gregorius professus fuerit regulam S. Equitii, an vero S. Benedicti; pro hac secunda stant Joannes Diaconus, l. 4. c. 15. n. 80. p. 205., Mabillonius in peculiari diss. in fine T. I. Annal. Benedict. p. 604. edit. Luc. et in Praef. ad T. I. Act. SS. p. xvi. n. xl. Vidd. Henschenius T. II. Bolland. p. 123. §. 3. n. 9. et seq., Lauretus in diss. ad calcem Chronici Cassinensis Leonis Ostiensis, aliique. Reliqua de S. Gregorio I. praeter cit. Scriptores, videantur apud Blanchinium T. IV. Anastasii.

(87) « Sabinianus natione Tuscus de civitate Ulera, (Codex Farnes. 67. *scribit de civitate Blera*, Cod. Vallic. *de civitate Bleda*), ex patre Bono » ita scribit Anastasius ap. Blanch. T. IV. p. 11 Baronius eum Volaterranum facit: Huic Pontifici tribuit Anastasius cit. An. I. M. V. D. IX. Idem habetur in Catal. depict. ad S. Pauli. Nos arbitramur, sedisse An. I. M. V. D. IV., cum supputatio procedat a die ordinationis 30. Augusti an. 604. ad diem. 2. Febr. depositionis (juxta Cod. Freherianum) an. 606. Vid. Cennius ap. Blanch. T. IV. Anast. p. 13.

(88) « Bonifacius natione Romanus, ex patre Joanne Cataaudioce » haec scribit Anastasius T. IV. p. 14. Sedisse in Pontificatu Menses VIII. D. XXVIII. ipse testatur Anastasius. Catal. ad S. Pauli signat M. VIII. D. XXII., cui nos subscribimus.

quartum (89) excepit. Horum prior adhibito Romae Concilio, decretum emisit, ne Pontificis electio ante triduum ab obitu Praedecessoris fieri posset eo fortasse ut quod justis funebribus, et expiationibus dandum erat, caeteris curis consiliisque vacaret. Oecumenici titulum, quem Antistites Constantinopolitani sibi perperam adjudicaverant moleste ferens, illius abrogationem urgere non destitit apud Phocam, latoque Edicto, est consecutus. Neque hisce contentus petiit ab eodem Templorum facile pulcherrimum a M. Agrippa Augusti genero exstructum Jovique Ultori Sacrum, quod Pantheon vocabant, impetratumque Mariae semper Virgini, et Christi Martyribus dicavit, cui et ipsum Phocam donaria attulisse legimus in libro Pontificali. Nihil peculiari memoria dignum occurrit de Deusdedit; (90) hoc magis de Bonifacio V. quod plurimum

(89) « Bonifacius natione Marsorum, de civitate Valeria ex patre Joanne Medico » ita tradit Anastasius T. IV. Blanch. p. 17. Petiisse a Phocate Principe templum, quod appellatur Pantheon, ut in Ecclesiam converteretur in honorem B. M. V. et omnium Martyrum, idem Anastasius testatur. Sedisse in Pontificatu Annos VI. M. VIII. D. XIII. ibidem legitur: uno die dempto, idem legitur in Cat. depict. ad S. Pauli, cui subscribimus cum Cennio T. IV. Anast. p. 19., minime die depositionis incluso.

(90) « Deusdedit (alias *Deodatus* vel *Theodactus*) natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono » haec scribit Anastasius ap. Blanch. T. IV. p. 21. Sedisse An. III. D. XXIV. idem Anastasius testatur. An. III. D. XX. signat Catal. depictus ad S. Pauli, cum quo concordat Codex Farnesianus 67. Codex Vallicellanus, ut ap. cit. Blanch. T. IV., habet praeter Annos III. D. XXIII. Nos cum Cennio in notis chron. ap. Anast. T. IV. p. 23. et seq. arbitramur, S. Deus-

operae impenderit ut Anglos ad Catholicae Fidei lumen traduceret, ejusque Epistolas pastorali sollicitudine officioque plenas transcripsit Beda in historiam Anglorum a se exaratam (91). Honorius Bonifacii V. Successor ab amplissima erga egenos liberalitate, ab exstructis vel munifice locupletatis Ecclesiis, et a Religione eximie culta naviterque prolata solet commendari. At duabus literis ad Sergium haereticum Monothelitam conscriptis, ingens de ejus Fide suspicio insurrexit, mirumque in modum ingravescere visa est cum illius aliorumque Monothelitarum nomen anathemate temeratum apparuit in actis Synodi Sextae. Scribens enim ad Honorium Sergius Patriarcha Constantinopolitanus de Synodo, quam pro Monothelitarum haeresi jam tum radices agente vocaverat Cyrus Alexandrinis infulis exornatus, sententiae suae hominem nil tale suspicantem admovere conatus est; perfecit siquidem ut Honorius vocabulum *unius* vel *geminae Christi operationis* silendum probaret, quasi silentium ejusmodi multas ex orientalibus haeresibus a-

dedit ordinatum fuisse Pontificem die 19. Octobris An. 615., et die 7. Novembris 618. obiisse. Quare sedit An. III. D. XIX.

(91) « Bonifacius natione Campanus, de civitate Neapoli » ita scribit Anast. ap. Blanchinium T. IV. p. 25., ubi legimus sedisse An. V. D. XIII. Recedit ab hac sententia catal. depictus ad S. Pauli, qui signat An. V. M. X., cum quo concordat Codex 71. Farnes. In Codice Vallicellano, ut ap. Anast. cit. T. IV. habentur anni V. Dies X. Nos cum Cennio in notis chron. ad Anast. T. IV. putamus, sedisse An. V. M. X., ut habet Catalogus depictus jam cit. ap. Marangonium p. 38.

vertere posset. Rescriptae sunt ab Honorio duae Epistolae, in quibus sartum tectumque fuisse Dogma de duplici Christi voluntate satis liquet cum de uno quidem operatore, sed de duabus distinctis operationibus sermo habeatur; non autem aeque probandum consilium de tacendo *duplicis voluntatis* nomine, quod errorem quodammodo alere, magisquam evellere poterat. Sunt qui Sergii Epistolam a Monothelitis corruptam, et ex Epistolis Honorii primam corruptam, alteram confictam putent, quorum sententiam non minus fastidimus quam quae Honorium iis in litteris veluti ex Cathedra decernentem suadere conatur, neque probabile ullum ex characteribus dogmaticae definitionis ob oculos nobis exhibere valet. Hinc aperta ratio cur macula illa Honorio adhaesit quasi *flammam haeretici dogmatis*, inquit Leo II. (*Ep. ad Episcop. Hispanos*) *non, ut decuit Apostolicam Auctoritatem, incipientem extinxerit, sed negligendo confoverit;* apertissima rursus, cur Catholici Patris nomen eidem denegari nequeat, diserteque tribuat Joannes IV. explicans Honorii sensum qui contrarias in Christo, quales in nobis sunt, voluntates *mentis* utique et *carnis*, non vero humanam divinamque voluntatem excluderet (92). Id quoque

(92) « Honorius natione Campanus ex patre Petronio Consule » scribit Anastasius T. IV. p. 28., ubi testatur sedisse in Pontificatu An. XII. M. XI. D. XVII., uti etiam legitur in Catal. depicto ad S. Pauli ap. Marangonium p. 38., cum quo et nos convenimus. Monothelitarum haeresis orta est sub hoc Pontifice; immo de hac haeresi injuria incusatur: nos rem evolvemus in capite de Conciliis.

damni repetit Ecclesia de Monothelitis quod eorum pertinacia mense tantum septimo supra decimum Summus Antistes Honorio fuerit subrogatus. Promulgaverat Sergius sub Heraclii Augusti nomine Ecthesim illam, in qua a catholicis hominibus exigebat, ne jam in Christo vel unam vel duplicem operationem commemorarent, unam tantum in Christo voluntatem Patrum omnium doctrina comprobare praesumens: auctor idem Heraclio ne Pontificem renunciari sineret nisi qui Ecthesim suscepisset. Romae interea Pontifex designatur Severinus, legatique viri ad Heraclium eidem conciliandum, qui ut Monothelitarum importunitatem audaciamque depellant se se Ecthesim Severino oblaturos pollicentur, publicasque ab Augusto literas impetrant quibus Severini staret auctoritas et ejus Pontificatus legitimus censeretur. Hoc astu haereticos minime praecaventes cum aggressi essent legati, Severinus Romae consecratur, et honoris auspicio Ecthesim reprobat (93).

§. XXII.

Joannes IV. et Theodorus.

—

Idem pontificatus initium secutus est Joannes IV. successor utpote qui anno 640. elabente,

(93) « Severinus natione Romanus, ex patre Abieno » ita legitur in textu Anastasii ap. Blanch. T. IV, ubi signantur sedis Menses II. D. IV. Nec dissentitur Catal. pictus ad S. Pauli, nec nos.

Episcopis in Concilium vocatis, Monotheliticae haeresis judicium rursus instituit, et damnationem Ecthesis protulit. Hoc quoque Ecclesiae benevertit, ut Heraclius qui in alienam invidiam, et in Fidelium exprobrationem sese adductum sentiebat propter tutelam erroris, facem hujusce dissidii auctori suo redderet, et Ecthesim non sibi sed Sergio adscribendam esse palam profiteretur. Ita haereticis quidem ignominiae, Joanni vero honesti solaminis occasionem dedit (94). Creato in locum Joannis Theodoro Pontifice, solerti tutela non caruit adversus alias atque alias Monothelitarum machinationes Ecclesia Dei. Erecta autem inter sollicitudines haud inanis spes fore ut nefaria haeresis aboleretur, cum Pyrrhus argumentis Maximi Abbatis Monasterii Chrysopolitani se se devictum fateretur, et Romam veniam expetiturus adiret. Benigne a Pontifice exceptus, coram amplissimo Ecclesiae Senatu, frequentique multitudine errorum, cui antea studuerat, detestatur dignus propterea habitus cui Constantinopolitanae infulae redderentur. At poenitens non tuetur famam poenitentiae suae, et Graecis de-

(94) « Joannes natione Dalmata ex patre Venantio Scholastico, sedit annum unum, menses novem, dies 18. » haec habet Anastasius T. IV. Blanch. p. 37. Codex Farnesianus 74. signat An. I. M. VIII. D. XVIII. Codex Vallicellanus ap. Anast. cit. loco idem scribit, addito tamen uno die, forsan die depositionis. Nos cum Anastasio dicimus sedisse in Pontificatu An. I. M. IX. D. XVIII. cui sententiae suffragantur Regino, Luitprandus, Ordericus lib. 2., et Catalogus Vaticano-Palatinus, ut apud Pagium T. IV., Anast. Blanchin. p. 39.

nuo adhaerens a proposito dimovetur, et in haeresim pertrahitur. Excanduit vehementer Pontifex maximus, spe eo altius mersa quo magis antea excitata, et in Templo Vaticano, ad Apostolorum sepulchrum accedens, Eucharistico J. C. Sanguine sententiam excommunicationis ad omnium terrorem conscribens, Divinae ultionis vim hoc pacto expressit (95).

§. XXIII.

Martinus Eugenius et reliqui hujus Saeculi Pontifices.

Hisce aliisque perturbationibus non animis concidit qui Theodoro defuncto subrogatus est Martinus Romanae Ecclesiae Diaconus; imo se se ad duriora quaeque pro Religione paratum exhibuit. Cedit sane in ejus praeconium Synodus Lateranensis illa Episcoporum 105. quae Constantis Imperatoris Typum sententiis omnibus confixit, Monothelitarum duces Sergium, Pyrrhum et Paulum Constantinopolitanos Patriarchas, Cyrum Alexandrinum et Theodorum Pharanitanum condemnavit, firmata per novos Canones duplicis in Christo voluntatis Fide. Quamobrem cum se suosque ita perculsos esse sentiret Imperator, Martinum e Constantiniana Ba-

(95) « Theodorus, natione Graecus, ex patre Theodoro Episcopo, de civitate Hierosolyma sedit Annos sex, Menses quinque dies decem et octo » sic Anastasius T. IV. Blanch. p. 39. Catalogus depictus ad S. Pauli addit unum tantum diem, forsan diem depositionis. Nos Anastasium sequimur.

silica captivorum more abductum navique impositum Constantinopolim deportari jussit, in carcerem conjecit, e carcere deductum Chersonam relegavit, ubi squalore et aerumnis confectus anno 655. die 16. Septembris vir sanctissimus fidem Ecclesiae, constantiam suam tyranno magnifice probavit (96). Turbato de sui honoris sede Martino edixerat Constans ut tamquam omnino demissus censendus esset, et de successore designando (nihil enim actum fuerat), a Romanis Clericis curaretur. Qui cum pertimescerent ne forte Pontifex de secta aliquis per vim eandem, quae Martinum opprimebat, imponeretur, ad successoris electionem conversi sunt, egregiumque virum Eugenium Romanum optime de Ecclesia sentientem, et de clericali ordine meritum suffecerunt, quem Martino acceptum fuisse ex ejus literis compertum habes (97).

(96) « Martinus de civitate Tudertina, Provincia Tusciae sedit annos sex, mensem unum, dies viginti sex » haec habet textus Anastasii T. IV. cit. p. 48., Baronius sedisse putat An. V. M. IV. D. XII., Catal. depictus ad S. Pauli signat An. VI. M. II. D. XII. quam postremam sententiam amplectimur, etsi non negemus varias in hac chronotaxi supputanda difficultates proponi a Blanchinio alicujus momenti in suis notis chron. ad T. IV. Anast. loc. cit., quas ipse eruditissimus scriptor, Eugenii etiam chronologiis perpensis, diluere conatur. Adeant si velint lectores cit. op. Quoad exilium Martini, epistolas in exilio ab eo scriptas, reliquaque videsis apud Surium in secunda edit. T. VI. p. 902. sub die 12. Novembr. et ap. Mosandrum T. VII. opp. p. 826. Videatur quoque idem Surius in vita S. Eligii.

(97) « Eugenius, natione Romanus de regione prima Adventinense Clericus a cunabulis ex patre Ruffiniano sedit annos duos menses octo, dies viginti quatuor » Ita Anastasius T. IV. p. 60. Catalogus

De Vitaliano (98), Adeodato, (99) et Dono quos summum reip. Christianae fastigium ornavit, parum liquet. Horum postremus (100) prae aliis in-

depictus ad S. Pauli signat An. I. M. VII. D. XIV. ap. Marangonium pag. 41. Discrepant autem Scriptores in annis Pontificatus signandis, cum Eugenius, aliquandiu vivente adhuc Martino, Pontificatum gessisset. Hinc nonnulli eum sedisse, vivente Martino, illegitime, alii vero legitime paulisper. Quare tempus sedis hujus Pontificis, ne intricatissimam hanc quaestionem pervolvamus, quaeque videri potest ap. Blanch. T. IV., Anast. in notis Chron., Cenni pag. 65. Col. I. et seq. dicimus fluxisse Annos II. M. VIII. D. XXIV., prout tradit Anastasius citatus. Si autem post mortem Martini supputemus annos sedis, tunc sedisse arbitramur An. I. M. VII. D. XIV., prout signat cit. Catal. depictns ad S. Pauli. Depositum fuisse Eugenium cum Papebrockio, Panvinio, et Pagio putamus die 2. Junii an. 657.

(98) « Vitalianus natione Signiensis provinciae Campaniae de patre Anastasio sedit annos 14. menses sex » sic habet Anastasius ap. Blanch. T. IV. p. 67. Ast Catalogus depictus ad S. Pauli signat An. XIV. M. V. D. XXIX. Nos ex die depositionis Eugenii I. protrahentes epocham per mensem unum et dies 29., quandiu scilicet vacavit sedes, ad diem usque 27. Jan. an. 672., statuimus sedisse An. XIV. M. V. D. XXVII. Videatur nota sup. (97) de Eugenio.

(99) « Adeodatus, natione Romanus, ex monachis, de patre Jobiniano sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque » haec habentur in textu Anastasii T. IV. p. 74. idem de annis legimus in Catal. depicto ad S. Pauli ap. Marangonium p. 42. Baronius huic Pontifici tribuit An. VII. M. II. D. XVII. Desiderantur praeter Anastasium abundantiores notitiae de hoc Pontifice, qua re nos timentes ne, ab Anastasii auctoritate recedentes, conjecturis nimis indulgeamus, ejus sententiam amplectimur, sedisse scilicet An. IV. M. II. D. V.

(100) « Donus natione Romanus ex patre Mauritio sedit annum unum, menses quinque, dies decem » haec scribit Anastasius T. IV. Blanch. jam c. p. 77. et quoad sedem idem habet Catal. depictus ad S. Pauli ap. Marang. cit. p. 42. Codices autem Regius, Mazarinius, Thuanus primus, Ambrosianus tertius, signant An. II. M. V. D. X. quibus assentitur Panvinius, quem nos cum Cennio in notis Chron. T. IV. Anast. p. 81. sequendum putamus.

notuit ab extincto Schismate Ravennatensis Ecclesiae, quod tempore Vitaliani fideles discindere caeperat. Consilia quoque sub Doni regimine capta sunt de Oecumenica Synodo, quae Monothelitarum litibus finem imponeret, perfectumque opus anno 688 cum Constantinus Pogonatus Imperium, Agatho (101) Ecclesiam regeret; Acta vero pleraque latino sermone donata a Leone II. Pontifice Maximo, (102) qui Benedictum Secundum (103) Con-

(101) « Agatho natione Siculus ex Monachis sedit annos duos, menses sex dies tres » ita scribit Anastasius T. IV. p. 82. Catalogus depictus ad S. Pauli signat An. III. M. VI. D. XIV. Alii Catalogi discrepant plerumque in diebus, nos vero auctoritate suffulti Catalogorum 4. et 6. Colbertini, Corbejensis 2., et Veronensis, de quibus Cennius in notis Chron. T. IV., Anast. p. 84., arbitramur cum eodem Cennio sedisse Agathonem in Pontificatu an. II. M. VI. D. XIV. excluso depositionis die, cum sedis anni computandi sint ab die 26. Junii an. 679. ad diem depositionis 10. Jan. 682. « Hujus temporibus (sic Anastasius loc. cit. p. 88.) indictione 8. Luna eclypsim pertulit mens. Jun. die 28. Similiter, et mortalitas major, atque gravissima, subsecuta est mense suprascripto, Julio, Augusto, et Septembr. in urbe Roma, qualis nec temporibus aliorum Pontificum esse memoratur; ut etiam parentes cum filiis, atque fratres atque sorores binatim per lectos ad sepulcra deducerentur. » De qua peste adest perceleberrima inscriptio in nostra Basilica Eudoxiana S. Petri ad Vincula Urbis prope altare S. Sebastiani M. depulsoris pestilitatis, cujus opem duobus abhinc annis teterrimo grassante Cholerico morbo sumus experti.

(102) « Leo natione Siculus ex patre Paulo sedit menses decem, dies septem et decem » scribit Anast. T. IV. p. 103. Eadem habet Catal. depictus ad S. Pauli cui nos assentimur. Reliqua videsis apud Papebrochium T. V. Junii pag. 375. et seq. et apud Pagium in vita Leonis II. T. I. a pag. 248.

(103) « Benedictus natione Romanus, ex patre Joanne sedit menses decem, dies undecim » sic Anast. T. IV. Blanch. p. 113. Addit diem unum Catalogus S. Pauli, cui nos subscribimus.

stantino Pogonato magnopere conjunctum Successorem sortitus est. Brevis Joannis V. (104) Pontificatus; permultae in successore statuendo contentiones et lites cum Clerici Petro Archipresbytero, Judiciorum militumque magistri Theodoro Presbytero studerent: vicit tamen felix pacis concordiaeque impulsus, vicit non tam fortuita quam divina omnium conspiratio ad Cononem (105) deligendum, quem in Thracia ortum, et in Sicilia bonis artibus instructum, Sacerdotalis sanctimoniae fama commendabat. Qui cum e vivis excessisset, discordias redintegravit Paschalis Archidiaconus, et ambitiosissimo foedere cum Exarcha Ravennae inito, pecuniamque a Conone relictam in facinus suum convertens ad supremum Ecclesiae honorem contendit. Ad haec, rumores ciens ambitor alius, Theodorus Romanae Archipresbyter Ecclesiae, acerrima calliditate Paschali minime secundus, neque opibus impar, eo ventum est, ut non verbis amplius et tabellis, sed lacertis atque armis lis illa

(104) « Joannes natione Syrus ex provincia Antiochia ex patre Cyriaco, sedit annum unum, dies novem » ita tradit Anastasius T. IV. p. 118. cum quo concordat Catal. depictus ad S. Pauli, cui subscribimus.

(105) « Conon oriundus ex patre Traccsio, educatus apud Siciliam, postmodum Romam veniens eidem Ecclesiae militans ad Presbyterii honorem devenit. Sedit menses undecim dies viginti tres » Sic legitur in textu Anastasii T. IV. p. 121. Catalogus depictus ad S. Pauli signat menses tantum XI. Pontificatus, cum quo concordat Codex Farnes. et Vallicellanus ap. Blanch. T. IV. Anast. cit. quibus nos subscribimus.

permitteretur. Hic denuo, ut superiori anno in electione Cononis, res ad mitiora et pacificatoria consilia vergit, Clerique voluntates a duobus competitoribus in Sergium, genere Syrum, patria Panormitanum inclinarunt. Inter Romanos Clericos ab Adeodato jam antea cooptatus et magna opinione virtutis a Leone Secundo tituli S. Susannae Presbyter factus, Pontificatum anno 687. auspicatus est Sergius, (106) virtutisque ac pietatis laudem adeo amplificavit ut in comunem admirabilemque sanctimoniae famam increverit. *Dedit ei quoque Dominus prudentiam et sensum*, (1. Par. 22.) quae in eo collucerent, et viam denique patefacerent operamque adjungerent ad Aquilejensem Romanae Ecclesiae conciliandam unde ob tria Capitula jamdiu discrepabat, et ad Schisma Istricum, rebus ita compositis, omnino tollendum: ejus autem auctoritas Canones Synodi Constantinopolitanae in Trullo habitae, Justiniano II. e contra precibus et minis obnitente, numquam probavit. Caelo potitus est An. 701. Septimo Idus Septembris.

(106) «Sergius natione Syrus Antiochiae regionis ortus ex patre Tiberio in Panormo Siciliae; sedit annos tredecim, menses octo, dies 23.» Sic scribit Anastasius ap. Blanch. T. IV. p. 125. Unus tantum dies desideratur in Catalogo depicto ad S. Pauli. Juxta Cennium in notis Chron. ap. Anast. T. IV. p. 127. col. 1. Sergius ordinatus est Pontifex die 15. Decembris an. 687., obiit autem VI. Id. Septembris an. 701. Quare inclusis diebus ordinationis et mortis resnltant Pontificatus Anni XIII. M. VIII. D. XXV. Reliqua de hoc Pontifice videsis T. IV. loc. cit. Anastasii.

XXIV.

Pontifices octavi Saeculi.

—

Pontifices prodierunt saeculo octavo Joannes Sextus et Septimus, Sisinnius, Constantinus, Gregorius secundus et tertius, Zacharias, Stephanus II. Paulus, Stephanus III. Hadrianus, et Leo tertius.

Ablato mortalibus Sergio, subsecuti sunt in praefectura Ecclesiae Joannes Sextus (107) et Septimus, (108) queis Aripertus Longobardorum rex eam Alpium Cottiarum regionem quae ad Romanam Ecclesiam pertinuerat juste retribuit. Ad ea quoque tempora referenda est Synodus Romae habita quae expendit, diremitque causam Wilfridi Eboracensium Archiepiscopi ad Sedem Apostolicam provocantis adversus injurias Alefridi Regis et Episcoporum Angliae. Post utrumque Joannem, et Sisinnium qui

(107) «Joannes VI. natione Graecus sedit annos tres, menses duos dies duodecim» sic ap. Anast. T. IV. p. 141. Quoad annos sedis idem legitur in Cat. depicto ad S. Pauli ap. Marangonium p. 46. quam sententiam sequitur Cennius in notis chron. ap. Anast. T. IV. p. 142. cum quo et nos sentimus.

(108) «Joannes VII. natione Graecus patre Platone sedit annos 2. menses septem, dies 17» ita Anastasius T. IV. p. 144. In omnibus convenit Catalogus depictus ad S. Pauli ap. Marangonium. Ast alii Codices, et Catalogi dum in annis conveniunt, discrepant in reliquis; varii enim Codices quos citat. Cennius in notis chron. ad Anast. T. IV. p. 146, tribuunt Joanni VII. menses VIII. VII. VI. Potior opinio juxta Cennium cit. ea est quae signat An. II. M. VII. D. XIII. quam nos sequimur.

parum in pontificatu mansit (109), creatus est Constantinus (110), accersitus postea Constantinopolim (de causa nemo divinavit, nemo certior extitit) a Justiniano Secundo Aug., ibique honorificentissime habitus. Cum imperii potestas in manus Philippici Bardanis devenisset, eandem vindex contemptae fidei contempsit Pontifex statim ac Imperatoris consilium de abolenda Sexta Synodo, et Monothelitica factione relevanda cognovit: execratus quoque illius literas haereticorum placita profitentes. Contra vero haud obscura voluntatis dedit indicia Anastasio Secundo, qui post brevem Philippici tyrannidem imperium obtinuerat, et se se Catholicum professus fuerat, misitque Constantinopolim munere Apocrisarii Michaelem Presbyterum Rom. Ecclesiae, ut Episcopos qui in partes Principis et in damnationem Synodi Sextae convenerant, Ecclesiasticae redderet communioni. Ecclesiae fines, qui aliunde pessima perduellium audacia arctabantur, propagandos

(109) « Sisinnius natione Syrus, ex patre Joanne, sedit dies viginti. Qui vir podagrico humore ita tenebatur constrictus ut sibi cibum propriis manibus exhibere non valeret » Haec leguntur in textu Anastasii T. IV. p. 149. et quoad sedem confirmantur in Cat. depicto ad S. Pauli, quaeque tandem passim codices confirmant.

(110) « Constantinus natione Syrus, ex patre Joanne sedit annos septem dies quindecim » ita Anast. T. IV. p. 154. discrepant in diebus nonnulli Codices, sed plerique cum Catalogo S. Pauli conveniunt signantes An. VII. D. XV. cum quibus nos convenimus. Reliqua de hoc Pontifice lege apud Anast. T. IV. cit. Hic Pontifex primus est qui in Catalogo depicto ad S. Pauli exhibetur cum Tiara una corona exornata.

curavit Gregorius Secundus (111) Constantini successor, ornavitque Corbinianum et Bonifacium Episcopatu, et Apostolica legatione ut novam Christo sobolem per Evangelium gignerent: consilia, quae Bonifacius exquisiverat, diserte apteque praebuit Epistola illa, quae ab ejus doctrina minime vero a Gregorio Tertio, (112) ut Gratianus putat, profecta est. Cogitationem de Leone Isauro Sacris Iconibus adversante, deque ejus salutis ratione quinquennem habuit non solum autem frustra, sed perniciose, indigna rependente Isauro, et submovente Italorum animos adversus Pontificem. At flamma in longe aliud ac Princeps existimarat incendium evasit; nam plures Italicae Provinciae Graecis jam subditae Graecumque imperium pertaesae, capta occasione, in apertam rebellionem eruperunt: signum belli quod Isaurus intenderat, signum defectionis fuit,

(111) « Gregorius II. natione Romanus ex patre Marcello sedit annos 16. Menses octo, Dies viginti » haec testatur Anast. T. IV. p. 168. Catal. depict. ad S. Pauli signat An. XV. M. VIII. D. XXIII. ap. Marangonium p. 48; cum quo concordat Cod. Farnes. 91. ap. Anast. T. IV. loc. cit. addito tantum uno die. Codex Vallicellanus ibid. signat An. XV. M. IX. D. XXII., aliique codices stant tam pro annis XV. quam pro annis XVI. Nos Cennii opinionem sequimur signantis An. XV. M. VIII. D. XXIV. auctoritate suffulti catalogorum 4. Colbert., 2. codicis ex Thuanis, duor. Freheriani et cit. codicis Farnesiani.

(112) « Gregorius tertius natione Syrus ex patre Joanne, sedit annos decem, menses octo, dies viginti » ita Anast. T. IV. p. 195. et Catalogus depictus ad S. Pauli. Ast in diebus error irrepsit et undequaque libratis auctoritatibus eum sedisse arbitramur An. X. M. VIII. D. XI.

quae exitiosissima prorsus extitisset, nisi Gregorius divina charitate instinctus auctoritatem omnem in motis sedandis adhibuisset. Ita Leo gladio ipse suo fere jugulatus, Pontifex beneficentissima voluntate injuriarum ultor, Ecclesia Christi pacis et concordiae genitrix et tutela. Verum pax numquam in tuto quae perfidorum hostium simulatibus proposita sit. Expunctis per Decreta prudentesque constitutiones Iconomachis, Gregorius alter a Pontifice hujus nominis secundo legavit ad Carolum Martellum qui opem efflagitarent tum contra Longobardorum copias Latio imminentes tum contra Leonem Isaurum qui in Urbem infestis signis concurrebat, et antiquum Ecclesiae patrimonium in Sicilia et Calabria situm redegerat *in publicum.* Gregorium tertium excepit Zacharias (113), in cujus factis eminet Decretum, a quo copia Francis dabatur rejiciendi Childericum Tertium, subrogandique Pipinum regnum jamdiu gestitantem; eminet indicta damnatio Vigilii Antipodum assertoris quam licet nonnulli in Romanorum Pontificum vel doctrinam vel prudentiam torqueant, optimo tamen jure defendimus cum non in factum sed potius in insana ac perniciosa consectaria invehatur (114). Subsecutus est Pontifi-

(113) « Zacharias natione Graecus, ex patre Polychronio sedit annos decem, menses tres dies 14. » Haec scribit Anastasius T. IV. p. 207., et Catalogus S. Pauli. Nos cum Cennio in not. chron. eandem epocham stabilimus unico dempto die.

(114) « Defuncto beatae memoriae Domno Zacharia Papa, Stephanum quendam Presbyterum ad ordinem Pontificatus cunctus Po-

catus Stephani Secundi alias tertii (115), in quo Ecclesiasticae dominationis fines latius patuere. Etenim ut Longobardorum arma, regemque ac ducem Astulphum retunderet confugium et auxilium in Galliis obtinuit Pontifex a Pipino regni moderatore, qui vi militum ingenti sese in Italiam proripiens Astulphum ad Exarchatus deditionem redegit, et (quod victoriam ipsam perpetuo magnanimae pietatis praeconio illustrat) Exarchatum ipsum, et quidquid subegerat, Apostolicae Sedi elargitus est, Chirographo Romam misso, et ad Petri Sepulcrum in facti religionem imposito. Compositis quae intercesserant cum Theophilacto Archidiacono discordiis, Stephanus successorem habuit Paulum (116) fratrem

pulus sibi elegit, et intra Lateranense Patriarchium misit, ubi biduo manens tertio die postquam a suo surgeret somno, et sedens familiares causas suas disponeret, subito dum sederet alienatus obmutuit, et sequenti die defunctus est » ita legitur in textu Anastasii T. IV. p. 226. Quare vixisse constat in Pontificatu Dies IV. Romanum faciunt scriptores. Plerumque inter Pontifices minime numeratur cum fatis cessisset ante ordinationem, et ideo in catalogis RR. PP. Stephanus III. dicitur II. et sic de reliquis hujus nominis Pontificibus.

(115) « Stephanus II. natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies viginti octo » sic habet Anastasius T. IV. p. 226. cum quo et nos convenimus una cum Catalogo depicto ad S. Pauli ubi tamen unus additur dies. Qui plura cupit adeat T. IV. Anastasii p. cit. et seq.

(116) « Paulus natione Romanus ex patre Constantino sedit annos decem mensem unum » Haec leguntur in textu Anastasii T. IV. p. 252. Eadem quoad sedis annos habet Catalogus depictus ad S. Pauli apud Marangonium p. 50. Nos cum pro certo habeamus consecratum Episcopum Romanum die 29. Maji 757. et fatis cessisse die 28. Junii 767., eum regnasse dicimus Annos X. M. I. dempto die.

suum germanum, cujus obitu gravissima exorta calamitas Romanae Ecclesiae, quae Constantinum in Apostolicam Sedem a Totone fratre Nepesino Duce intrusum per menses quindecim perpeti debuit. Neque abfuere tumultus et trepidatio ab electione Stephani tertii (117) alias quarti, qui pulsum invasorem excepit reprobavitque Synodum Constantinopolitanam Sacrarum Imaginum earumque cultus reprobatricem. Ab eo Sacrorum ordinum insignia illis tributa sunt, quos Constantinus initiaverat, non tamen iterata ordinatio. Haud exiguo postea ornamento ac praesidio fuit Ecclesiae Dei Hadrianus (118) generis, virtutis, doctrinaeque splendore conspicuus, dignus propterea cui Carolus Magnus, gratificandi causa, deletis in Italia Longobardorum viribus, dona omnia Pipini Parentis erga Sacrum Principatum, firmata amplioraque

(117) Stephanum III. alias IV. Siculum faciunt Scriptores ex patre Olybrio, vel Olivio. Sedisse in Pontificatu annos III. M. V. D. XXVII. testatur Catalogus depictus ad S. Pauli, cui suffragatur auctoritas Catalogorum Vaticani, Vallicellani, quos sequuntur Baronius et Pagius ex Luitprando. Vid. Bollandus die I. Febr., ex quo eruitur eum inter sanctos ab nonnullis adnumerari. Quoad cetera videsis Pagium in Breviario Gestorum PP. RR. p. 580., et seqq. T. I. Antuerpiae 1717.

(118) « Hadrianum I. natione Romanum ex patre Theodoro de regione Viae Latae fuisse omnes testantur. Sedisse an. XXIII. M. X. D. XVI. habet Catalogus depictus ad S. Pauli cum quo concordant ceteri Catalogi excepto illo Reginae Sveciae ubi Anni XXIV. inscribuntur, sed ex dictis haud completi videntur. Nos sedisse arbitramur An. XXIII. M. X. D. XVII. Nemo post Petrum, et Pium VI. tamdiu in Pontificatu Romano vixit. Obiit tempore Caroli M.

redderet. Sub ejus regimine actum est adversus Iconomachos Concilium Generale Septimum: annus Pontificalis honoris vigesimus quartus, et a Christo nato 795. eidem emortualis fuit. Suffecto in ejus locum Leone III. (119) minime intermissa, imo potius magnificentiora in dies Caroli Magni erga Ecclesiam, Ecclesiaeque rectorem merita, quorum copia praestantiaque permotus Pontifex Maximus Natali D. N. die Carolum ad Sepulcrum Principis Apostolorum in Vaticano Templo exceptum, et in genua procumbentem Diademate nomineque imperatorio donavit, almoque Chrismate inunxit. Hoc auspicio, quo nil ad regiam majestatem splendidius, nil ad pietatem efficacius, Romanum occidentale Imperium annos ante 350. sublatum, octingentesimo Rep. Salutis anno vertente instaurabatur.

(119) S. Leo III. ut habent catalogi et Scriptores natione Romanus ex patre Azuppio, electus est Pontifex unanimi consensu die 26. Decembris an. 795. et ordinatus die sequenti. Regnasse An. XX. M. V. D. XVI. testatur Catalogus depictus ad S. Pauli. Obiit die 11. Jun. 816. quare sedit An. XX. M. V. D. XV.

CAPUT III.

De Conciliis.

§. I.

Concilium Nicaenum ejusque causae.

—

Illud scite solliciteque ab omni vetustate praestitit Ecclesia Dei, ut, cum nova haeresum monstra prodirent, agrumque leviticum laederent, vel dissensiones et schismata inconsutilem Christi vestem scinderent, vel quaestiones ac dubia circa aliquod Ecclesiasticae disciplinae caput fidelium animos perturbarent, Episcopi, in quibus *firmissimis eminet mons ipse in vertice montium* in unam continuo fidem, in unum foedus coeuntes consilia inirent, concilia agerent, in quibus opportuna remedia pararentur, error profligaretur, fides et Apostolica doctrina ab hostium occursu in tuto ponerentur, atque Ecclesiastica disciplina, quae ab Apostolis praesertim est, apertius declararetur si anceps, si collapsa in pristinam consuetudinem restitueretur. Quia vero longum esset Concilia omnia reminisci, idcirco ad ea tantum quae Generalia seu Oecumenica dicuntur, vel quae hisce vinculo quodam conjuncta sunt, compendiarius sermo contrahetur. Primatu

gaudet inter Concilia, primoque a nobis commemorandum quod Nicaeae habitum est anno 325., imperium gerente Constantino Magno, Ecclesiam Silvestro. Praecipuae adduci solent hujusce Concilii causae Arianorum haeresis (120) quae exiguis quidem initiis magnum incendium conflaverat, totumque orbem Arianum facere conabatur, tum controversia jam inde ab aetate Victoris Romani Pontificis et Polycratis Ephesini Episcopi in Christiano populo vigens de die Paschatis celebrandi (121) quae licet non ultra orientales plagas tunc minime pervasisset alias turbationes tamen minitabatur (122).

§. II.

Qui Nicenae Synodo interfuere.

—

Hisce Ecclesiae malis, extremaeque perniciei ut occurreret Constantinus, ex nutu Sylvestri Pontificis, penes quem erat anctoritas Generalia Concilia

(120) Vid. Eusebius in vita Constantini lib. III. c. IV. pag. 578. edit. Cantabr.

(121) Vid. Eusebius cit. ibid. C. V.

(122) Hisce addendum Meletianum dissidium quod cum saeculo fere IV., anno ut volunt 306. exortum omnium animos occupabat. Turbarum auctor fuerat Meletius Episcopus Lycopoleos in Thebaida qui idolatrici sacrificii aliorumque facinorum causa a Petro Alexandrinorum Pontifice loco dejectus non modo episcopale munus non dimisit, sed tenacissime exercuit, imo Alexandrinae Cathedrae honorem usurpans et jura impudenter perfringens ordinationem per totam Ægyptum Presbyterorum Episcoporumque a se extare voluit, miserandamque defectionem excitavit.

indicendi (123), accitis undique Catholici Gregis Pastoribus, viaticoque ex publica pecunia instructis, primum Concilium Oecumenicum Nicaeae in Bytinia celebrari mandavit. Episcoporum numerum (124) usque ad 318. suppeditat Athanasius, insignem vero, plerorumque doctrinam, pietatem, fideique constantiam vel in Diocletiana persecutione exquisitis cruciatibus comprobatam testimonia alia loquuntur. Osium Cordubensem, qui cum Vito et Vincentio (125) Romanis Presbyteris vicarias Sylvestri partes in Synodo sustinuit, Alexandrum Pontificem Alexandrinorum (126), Eustathium Antiochenum, Jacobum Nisibensem, Paulum Neocaesarensem Episcopum, Paphnutium superioris Thebaidis, Spiridionem Thrimiduntis in insula Cypri Episcopos, aliosque bene multos Levitas, Sacerdotes, Clericos nulla silet historia. Quinimo plures e Platonis schola adfuisse novimus, conductitios propterea Arii philosophos a Gelasio Cyziceno appellatos,

(123) Vid. Berti T. III. Hist. Eccl. diss. 1. C. XVII. p. 29. et seqq. Bassani 1769.

(124) «Honorificis litteris Episcopos undique invitans (*Constantinus* (sic habet Eusebius loc. sup. cit. c. VI. p. 579).) ut quantocyus adessent . . . . praeterea multum ad hoc opus contulit Imperatoris benignitas. Qui aliis quidem cursus publici copiam praebuit: aliis vero jumentorum usum abunde subministravit ».

(125) Vid. Gelasius Cyzicenus lib. II. Comment. actor. Conc. Nic. C. 5. et Nat, ab Alex. diss. XII. in saec. IV. pag. 417. Tom. IV. edit. Luc. 1750. et Berti T. III. Hist. Eccl. diss. I, C. XXI. pag. 35. et seq. edit. cit.

(126) Cf. cit. Nat. ab Alex.

et quorum doctrina magna cum facundia conjuncta ad Catholicorum terrorem facere videretur. At nuda mysteriorum nostrorum expositio, Apostolicae doctrinae candor, et sermo Spiridionis Thrimithuntis, non auribus quidem deditus, sed in *cor hominis ascendens* philosophicae sapientiae spiritus fastumque abjiciebat.

§. III.

Quid Synodus egerit in haeresi Ariana.

Ubi conventum est, et Imperatoris praesentia coetum honestavit pertractatio caepit de fide in cujus tutamen vocatum fuerat Concilium. Ario in medium adducto, acta adversus haereticum edita a Synodo Alexandrino (127), Epistola Eusebii Nicomediensis, et Arii ipsius Thalia lecta sunt, et in hac blasphemi scripti lectione, aversa ora, occlusae Patrum aures indignatos excandentesque animos patefaciebant. Varie a variis concepta est Fidei declaratio, et formula; prolata ab Eusebio Nicomediensi, perniciosissimis erroribus referta diras meruit et in se concitavit; pluribus tandem latis libratisque sententiis communi omnium suffragio acceptum est Symbolum, quod modo quoque obtinet Nicaenumque vocatur (128), cujus confectionem tribuunt nonnulli

(127) Vid. Berti loc. sup. pag. 40.

(128) Cf Berti sup. cit. ibid.

Alexandro Alexandrino, alii ad verum propensiores, Osio Cordubensi. At quia norant optime Patres, Arianorum perfidiam mores quaerere ut veritatem eluderet, erroremque ingereret, ad aram confugere arbitrati sunt, si το ὁμοούσιον latine *Consubstantialem* unanimiter adderent, perpetuaque auctoritate consecrarent. Addiderunt profecto insigni prudentiae sapientiaeque laude vocem illam *consubstantialis*, quam saeculorum omnium consensio recepit, christianaque Fidei Professio ubique terrarum inclamat. Neque scientissimos Patres fefellit opinio reique ipsius exitus. Etenim, juxta gravissimum Athanasii testimonium, Ariani veluti aculeo puncti, cum vocabulum illud erroris gladium non immerito arbitrarentur, ab omnium memoria delendum, sempiternisque tenebris offundendum anxie satagerunt, quod ipsissimum erat ac causam Catholicis tradere (129).

(129) Legatur Athanasius in orat. contra Arianos. Silvestrum duo Romae Concilia celebrasse tradunt collectiones Conciliorum, alterum in quo dicitur disputasse cum Judaeis, alterum Harduinus commemorat T. I. p. 286. et seq. ex collectione Isidori Mercatoris cujus canones habemus a Petro Crabbe in priori editione an. 1538. p. 161. a quo 275 Episcopi enumerantur et non 284., et ab Surio juxta MS. Coloniens. Ast a Collectoribus tanquam apocrypha censentur et Concilia et Canones, qua re Coustantius ea rejecit in Append. p. 18. et 55. Vidd. Pagius in Crit. an. 324. n. 17. et seq., Cabassutius in notitia Eccl. p. 123. n. 1. et Petrus Lazeri in diss. de Conciliis Romanis n. 14. Romae 1755. Commemoranda potius ea Synodus Arelatensis I. S. Silvestri opera celebrata an. 314. adversus Donatistas. Cff. Harduinus T. I. Conc. p. 262. et seq. et 266., Tillemontius T. VII. in artic. de S. Silvestro, nec non epist. 2.

§. IV.

In Causa Meletianorum.

Abnormis et exlex erat Episcopatus eorum quos Meletius erexerat, obvia e contra turbarum, constitutionum occasio eorumque expulsio. Quapropter ut pax et disciplina Ecclesiae aeque in tuto forent indultum est hominibus ejusmodi in suis sedibus permanere dummodo Episcopali titulo contenti, officium tamen dimitterent, quod ab Alexandro aliis delatum est. Ubi vero a Clero et populo ad sacrarum legum praescriptum electio fieret, et ab Alexandrino Antistite firmaretur, pristini honoris, dimissaeque potestatis copia illis impertiebatur. Caruit eadem venia Meletius ne vir animi audacis et insolescentis nova Ecclesiae damna moliretur, in Lycopolitana urbe ad silentium redactus, et qualibet Ecclesiastica procuratione gestioneque prohibitus. Qui vero post reditum Alexandri in Aegyptum, licet Ecclesias omnes injuria captas restituisset, nihilo-

Concilii Arel. ad Silvestrum ap. Coustantium ubi de Silvestro. Probata autem res est Silvestrum legatos misisse Nicaeam ubi Concilium celebrandum erat, actaque Concilii confirmasse. Verum dum hoc dicimus, nolumus quidem tanquam genuinas habere binas illas epistolas, alteram Concilii ad Silvestrum, alteram Pontificis ad Patres, quas edidit Petrus Crabbe ex MS. Colon. Ita enim ea existimant eruditi, et Coustantius in Append. intulit p. 53. et seq. Certum vero est Alexandrum Alex. Episcop. per epistolam certiorem fecisse Pontificem de Ario damnato ejusque sociis. Vid. Coustantius cit. p. 347. n. 1.

minus paullo post in ipso vitae defectu in, putidius quam antea fortasse, vomitum relapsus est, et Nicaenis decretis pessumdatis, Joannem ordinavit cognomento Arcash. Animi inde resumpti a factione sua, et (quod gravius est) nefarium cum Arianorum secta foedus initum, Ecclesia quae pacem praestolabatur, iterum e biformi monstro turbata, nec usque ad saeculum quintum a Meletianis (130) flagitiis acquiescens.

§. V.

Acta Synodica in Controversia Paschatis.

—

Diuturnum christianaque unitate et concordia indignum dissidium de die Paschatis celebrandi sacrosanctae Synodi provvidentia sublatum est, statutaque ubique terrarum solemnibus Paschalibus dominica dies prima a decimaquarta luna mensis primi; unde Orientales, et quotquot Judaicae consuetudini morigeri erant, in Romanorum, Ægyptiorumque institutum vetustate sancitum, saniori sententia probatum ire necessum fuit. Nihil saluberrimum decretum offendit praeter dura acerbaque Montanistarum ingenia, et quorundam quos pecuinus Judaeorum stupor adhuc detinebat, aliorum tandem quos a Canone primo

(130) Vidd. Epist. Synod. apud Theodoret. l. I. c. IX. Athanasius Apolog. contra Arianos n. 59. et 71. Sozomenus lib. II. c. XXI. Socrates Hist. Eccl. lib. I. C. VI. et Theodoretus lib. I. c. VIII. Cf. Bertius Hist. Eccl. T. III. diss. I. pag. 48. Bassani 1769.

Antiochenae Synodi Anno 332. graviter perstrictos videas. Nullus profecto majorem in hac causa Ecclesiae curam et diligentiam desideravit, quae et in Nicaeno Concilio, et postea semper patuit, cum sedulo praecautum sit ne in Paschatis celebratione error aliquis aut Christianorum dissensio posset suboriri. Mandata praeterea a Nicaenis Patribus Episcopo Alexandrino temporum supputatio, ut praedictae diei recursus Sedi Apostolicae, et ab ea tamquam a Capite universis Ecclesiis indicaretur Quidquid demum in hac quaestione anceps aut disputatum fuit, Romanorum Pontificum, Leonis praesertim Magni, cui potissimum curae fuit, judicium subiit (131).

§. VI.

Canones Concilii Nicaeni.

Extra controversiam genuini sunt, et ad nos pervenere viginti Canones, quos Sancta Synodus jussit (132). Haec Patrum Nicaenorum studia, qui-

(131) Universam hujus controversiae de die Paschatis Historiam reperies apud Eusebium Hist. Eccl. lib. V. c. XXIII. et seqq. pag. 241. et seqq. edit. Cantabrig. 1720. Vid. Eusebius in vita Constantini lib. III. c. XVIII. pag. 587. edit. Cantabrig. cit. Cff. nostra nota (64) Periodi primae part. inter. pag. 51. ubi de Victore; et Bertius in Hist. Eccl. T. III. diss. I. cap. XXVIII. pag. 46. edit. Bassani 1769. Hanc quaestionem sub Victore praesertim agitatam inter fabulas adnumerat Marcellinus Molkenbuhrius in diss. crit. XII. cujus sententiam nos impugnare illis linquimus quibus id facere otium est.

(132) Oppido deceptum credimus Franciscum Turrianum qui eorum numerum ad octogesimum produxit, et Arabici codicis testi-

bus factum est ut Arianus error, veluti daemonium meridianum diris, unde proruperat, perpetuo devoveretur; edito e contra Symbolo, veritas in meridiana luce claresceret; Paschalis controversiae scandalum tolleretur, Meletianorum factio ad unitatem, Ecclesiae totius instituta ad veterem disciplinam redigerentur. Hinc per epistolas quoquoversus missas gestorum insonuit fama; alteram, quam suppeditat Theodoretus, dedit Synodus ad Alexandrinam Ecclesiam, alteram Encyclicam dedit Ecclesiis cunctis Constantinus Magnus (133). Legati quoque missi a Patribus ad Silvestrum Romanum Pontificem, per quos de omnibus certior redderetur; cujusce rei veritas nemini sano obscura erit, licet epistola Patrum, et Silvestri genuina responsio temporum injuria perierint, quam editae ejusdem generis literae, et a subtilioribus criticis rejectae reparare nequeunt (134).

monio sententiam suam firmavit. Conatur equidem eundem suadere numerum Abraamus Ecchellensis Maronita e Libano, neque argumentis omnino destituitur, et in eo exsultare videtur, quod omnium fere orientalium sectarum hac in re consensionem ostentat; nihil vero adhuc conficere potuit qui nec vetustioribus codicibus et doctoribus innititur. Vid. T. II. Concilior. Labbei col. 298. et seq. et col. 399. ubi extat diss. Abraami Ecchellensis de auctoritate canon. et constitut. Nicaenae primae synodi a se ex arabico latine versorum. Venetiis 1728. Cf. si lubet cit. Turrianus in opere inscripto - Pro canonibus Apostolorum, et epistolis decretalibus PP. . . . . defensio - Lutetiae 1573. legantur Ballerinii T. III. opp. S. Leonis *de antiquis collectionibus et collectoribus Canonum.* Venetiis 1757.

(133) Legitur apud Eusebium, Socratem, Theodoretum aliosque.

(134) Hasce epistolas primum edidit Surius ex vetusto quodam

§. VII.

Concilium Sardicense.

Alia deinde cura exercuit Ecclesiam, ut novos Arianorum (135) conatus reprimeret, et Episcopos factionis violentia exulantes (136) ad proprias sedes reducendos curaret; indictumque Concilium Sardicense, quod, missis per omnes Provincias literis, et Episcopis undique convenire jussis, oecumenicum habitum est. Praefuerunt pro Julio Osius Cordubensis, Archidamus, et Philoxenus qui Sacerdotale, Leo qui Leviticum officium in Romana Ecclesia gerebant (137). Hic nodus, a quo Petrus de Marca illigatus est, dissolvendus se praebet; legitimus nempe exitus, in quem ob Episcoporum Eusebia-

codice Coloniensi. Bertius T. III. Hist. Eccl. c. XXX. pag. 50. epistolam synodi ad Silvestrum genuinam putat, alteram Silvestri ad Patres Nicaenos apocrypham. Vid. cit. auctor. Nos prioris epistolae genuinitatem satis probatam non videmus, alterius autem apocryphiam satis demonstratam arbitramur.

(135) Praesertim Eusebii Nicomediensis, Theognidis, Nicaeni Asterii Sophistae, Valentis Mursensis in Pannonia, Ursacii Singidunensis in Maesia, Macedonii Constantinopolitani aliorumque.

(136) Inter quos mentionem merentur Athanasius, Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopoleos firmissima ortodoxae fidei praesidia.

(137) Vid. Athanasius in Apologia 2. Sunt qui dicant Osium non praefuisse Concilio Sardicensi nomine Julii R. P. eo ducti quod in epistola synodica illius concilii, referatur Julius subscripsisse per Archidamum et Philoxenum etc. contra quam sententiam legatur Natalis ab Alexandro saec. IV. diss. XXVII. pag. 527. T. IV. edit. Lucae 1750.

norum defectionem invehuntur (138). Esto Episcopi octuaginta, Eusebio Nicomediensi studentes noctu subterfugerint Sardica, hoc tamen manet, non alia mente ad generale conventum adductos esse quam ut placitis suis et sententiis in Athanasium, aliosque catholicos Praesules per conciliabulum editis, auctoritatem Concilii vindicarent. Praecisa spe corrumpendi judicii, quod rite justeque a Patribus latum nemo non agnovit, Philopopolim concesserunt, egeruntque Concilium Sardicensis nomen mentientes: inde pudore omni exuto ad extrema ventum est, ad damnatoriam scilicet in Julium Pontificem in Osium Cordubensem aliosque (horrescimus referentes), sententiam (139).

§. VIII.

Ejus Concilii Acta.

Nihil de Fide, nihil de Symbolo peractum est a Patribus Sardicensibus; plura vero in defensionem et honorem Athanasii, aliorumque Episcopo-

(138) Concilii Sardicensis et Osii orthodoxiam impugnat Basnagius ad an. 347. T. II. Ann. p. 799. Roterodami 1706.

(139) Contra Basnagium vid. cit. Natal. ab Alex. in nota Mansi p. 529. Universam historiam Concilii Sard. variasque Febronii praesertim difficultates satis evolutas habebis Parte II. operis eruditissimi Zaccariae - Anti-Febbronio *o sia Apologia Polemico Storica del Primato del Papa contro la dannata opera di Giustino Febbronio, dello stato della Chiesa e della legitima podestà del Pontefice* - Pesaro 1767. ubi etiam de jure convocandi concilia Generalia fuse agitur.

rum, quos Arianus furor dejecerat, et in disciplinae stabilitatem egregie praestita. Hic itaque animus, haec Patrum vox, satis Fidei, satis Symbolo a Nicaenis Praesulibus datum esse: et ad novas formulas expungendas, queis Ariana impietas ac versutia abutebatur, hoc item decretum, ne quid amplius de Fide adlaborandum cogitandumve foret. Huc potius sollicitudo omnis revocata est, ut hominibus diuturna immeritaque persecutione afflictis consuleretur, Athanasio in primis confessione fidei commendatione virtutum singulariter enitenti, cujus innocentia et virtus contra obtrectationes et calumnias palam est declarata; tum Paulo Antistiti Constantinopolitano, Asclepae Gazensi, Lucio Hadrianopolitano et Marcello in Galatis Episcopis, et aliis multis, quos hostilis impietas pene contriverat, Concilii aequitas pene ab interitu vindicavit (140). Ad haec, ratione habita Ecclesiasticae disciplinae, Canones de ea prodierunt XXI. juxta Latinos, editionem Dionysii Exigui amplectentes, viginti juxta Graecos, qui autem Canones in antiquis Codicibus conjuncti Nicaenis, pro Nicaenis haberi consueverant (141).

(140) Cf. Sozomenus Hist. Eccl. Lib. III. Cantabrigiae 1720. T. II. Scriptor. Hist. Eccl.

(141) Ex iis celebritate gaudent qui in Graecis Codicibus, III. IV. V. locum obtinent, tertium autem quartum et septimum in latinis, quique appellationes ab Episcopali ad supremum Pontificiumque judicium respiciunt. Canones hujusmodi ita se habent Can. III. *Osius Episcopus dixit: Hoc quoque necessario est adjiciendum, ut*

nullus Episcoporum ex sua Provincia in aliam Provinciam, in qua sunt Episcopi, transeat; nisi utique a suis fratribus vocetur; ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam similiter providendum est ut si in aliqua provincia Episcoporum quispiam adversus fratrem suum et coepiscopum negotium habeat, neuter eorum ex alia provincia episcopos cognitos evocet. Si quis autem Episcoporum in aliquo negotio condemnandus (versio Dionys. *judicatus* graece καταχρίνεσθαι) *visus fuerit, et existimet se non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium* (v. Dionys. *concilium* graec. ἡ χρίσις) *renovetur: si vestrae dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt* (v. Dionys. *examinarunt* graec. των χρινάντων) *scribatur Julio Romanorum episcopo; et per propinquos provinciae episcopos, si opus sit, judicium renovetur; et cognitores ipse praebeat* (v. Dionys. *et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur et det judices*) *si autem probari non potest, causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit; quae semel sunt judicata non infirmentur, sed rata sit lata sententia.*

Can. IV. *Gaudentius Episcopus dixit: Si videtur necesse esse adjici huic sententiae, quam sincera dilectione plenam protulisti ut si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum, qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere* (v. Dionys. *et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma*) *non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Pontifex causa cognita sententiam tulerit.* (v. Dionys. *nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*).

Can. V. alias VII. *Osius Episcopus dixit: Placuit ut si quis Episcopus delatus fuerit, et congregati ejusdem regionis episcopi eum gradu moverint; et veluti appellans* (v. Dionys. *si appellaverit* graece ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος) *confugerit ad Beatissimum Romanae Ecclesiae episcopum, et velit ipsum audire, et justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari* (v. Dionys. *ut renovetur judicium* al. *examen*) *coepiscopis scribere dignetur, qui sunt propinqui provinciae, ut ipsi diligenter et accurate singula perscrutentur, et ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, et ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat; et sit in potestate ipsius quodcumque recte ha-*

§. IX.

Concilium Primum Constantinopolitanum oecumenicum.

—

In ea tempora sub Constantio Juliano, et Va-

bere probaverit: et si decreverit oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, a quo missi sunt; et hoc ponendum est (v. Dionys. *erit in suo arbitrio* Gratian. *in ejus*) *Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem et Episcopi sententiam* (v. Dionys. *Si vero crediderit Episcopos sufficere ut negotii terminum imponant*) *faciet quod prudentissimo ejus consilio recte habere videbitur. Responderunt Episcopi: que dicta sunt placuerunt.* Cf. T. II. Conc. Labbei pag. 658. et seq. Venetiis, 1728. Absit, novum inde judiciariae potestati genus, ut Dupinius Vanespenius et Febronius contendunt, ad apostolicam cathedram accedere; vetustissimum potius et primae huic sedi cognatum jus non decernendi dumtaxat recognitionem judicii sed appellationis cujuslibet recipiendae a quibusvis ecclesiasticis judiciis incluctabili testimonio comprobatur; quod a Petro et Hieronymo fratribus Balleriniis, et a Francisco Antonio Zaccaria enucleate invicteque demonstratum quisque fatebitur. Vidd. Ballerinii citati T. II. opp. S. Leonis in tractatu de antiquis Canonum collectionibus et collectoribus. Venetiis 1757. et Zaccaria in op. jam cit. *Anti-Febbronio* Parte 2. lib. III. Cf. Christianus Lupus in diss. de Synodo Sardicensi ex T. I. opp. p. 314. et seqq. et in opere inscripto - divinum ac immobile Apostolicae sedis quoad Romanas appellationes privilegium adsertum ac demonstratum - ext. T. VIII. opp. ejusdem Scriptoris. Venetiis 1727. ubi cap. XXXII. de Africanae Ecclesiae romanis appellationibus pag. 279. exponitur Africana quaestio quoad canones sardicenses, et demonstratur quomodo canonum et actorum Sardicensium existentiam ignoraverint Africani Patres saeculo Ecclesiae V. Oecumenicum fuisse Sardicense Concilium nemo cordatus vir inficiabitur si prae oculis habeat Sardicam accitos undique fuisse Episcopos Universam repraesentantes Ecclesiam. Cur autem in conciliorum oecumenicorum catalogo minime recenseatur ea est praecipua ratio, quod veluti Nicaenae synodi appendix habitum sit, ideoque nil mirum si canones Sardicenses ignoraverint nonnulli veteres in Africa praesertim cum sub Nicaenorum nomine ipsos habuerint.

lente Augustis Ecclesia inciderat, quibus funditus permixta submergi videretur; obruebatur Arianis, quibus multitudinem et vires fecerat in Oriente Imperatorum gratia, exagitabatur ab Eusebianis, Eunomianis, Macedonianis, Photinianis, Apollinaristis, et Novatianis, aliisque a Hieronymo recensitis; nec multum firmitatis Catholicorum concordiae inerat. At hic quoque percelebre vaticinium de Ecclesia, quae cum transierit per aquam, fluminibus non operietur, cum ambulaverit in igne non comburetur, (*Is.* 43. 2.) perfecte comprobari senserunt fideles, vehementer gratulati quod Theodosius ad imperii fastigium evectus eximiis erga Rempublicam meritis aequissimam Christianis voluntatem junxerit. Cujus id fuit indicii quod ad vulnera sananda, et ad scandalum omne divellendum, generalem totius Orientis Synodum in Urbe Regia suaserit anno 381., ad quam Episcopi orthodoxae professionis 150, et Macedoniani ex solo fere Hellesponto, ubi sparsi erant, duce Eleusio Cyziceno, coacti sunt. Ibi primo in quaestionem venit Constantinopolitana Sedes, quae, repudiante Synodo ordinationem Maximi (142), in Gregorium Nazianzenum cessit ob instantes Meletii Antiocheni curas. Meletio autem morte intercepto (143), iterum turbata est quies (144). Damnatio quoque Synodica Macedonia-

(142) Philosophi Cynici postea Apollinaris asseclae.

(143) Cujus funebrem orationem pertexit S. Gregorius Nyssenus.

(144) Quapropter S. Gregorius Nazianzenus ab Episcopatu sponte se abdicavit, in ejusque locum suffectus est Nectarius Tarsensis.

nos aliosque haereticos perculit vel canone primo, vel uberiori Nicaeni Symboli explicatione in iis quae spectant Incarnationem, et Spiritum Sanctum. Quoad Canones, pars data in praesidium Fidei, pars in politicem Ecclesiae, tertiumque Canonem (145) nec apocryphum ducimus, nec taciti praeterire nolumus, qui alterum a Romano Pontifice honoris gradum Constantinopolitano Pontifici adjudicat (146), honoris inquam non vero patriarchica jura in Thraciam Pontum, et Asiam.

(145) Juxta veterem interpretationem apud Isidorum Mercatorem est canon V. in quo haec leguntur « Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum propterea quod sit nova Roma » ap. Labbeum T. II. Concil. col. 1138. Venetiis 1728. Cff. Ballerinii T. II. opp. S. Leonis pag. 976. Quod privilegium nunquam ante Innocentium III. adprobatum explicite fuit ab Romano Pontifice. S. Leo I. et Nicolaus I. illud potius impugnant.

(146) Historiam hujus Concilii variasque canonum interpretationes videsis apud citatum Labbeum T. II. col. 1189. et seqq. ibique quaestiones praecipuas satis enucleatas habebis col. 1151. Vid. Christianus Lupus in diss. de Synodo Constantinopolitana quae extat T. I. opp. citt. Photius, a Damaso Papa confirmatum fuisse putat Concilium CP. I. Verum S. Gregorii M. auctoritate suffulti (lib. 7. ep. 34. al. 31.) videtur Damasus confirmasse ea tantum quae referri poterant ad haereses Macedonianas, et Eunomianas « *Romana Ecclesia eosdem canones vel gesta Synodi* (CP. I.) *illius hactenus non habet nec accepit: in hoc autem eamdem Synodum accepit*, *quod est per eam contra Macedonium definitum* » col. 882. T. II. opp. edit. Maurinae Paris. 1705. Et sane hujus Concilii plenitudo haud statim agnita est ab Ecclesiis occidentalibus, neque a Graecis tempore Ephesini Concilii tantum honoris, quantum postea in Synodo Chalcedonensi obtinuit. Cum enim Constantinopolitanum Chalcedonensi Synodo insertum esset, communique suffragio comprobatum, Romana Ecclesia et Occidentales, quae Chalcedonense Concilium Oecumenicum habebant in-

§. X.

Ephesinum Concilium Oecumenicum.

—

Synodo quam orthodoxi omnes Nestorianas injurias pertaesi efflagitaverant copiam benigne praebuerunt Caelestinus Pontifex et Theodosius Aug. Junior: et coacta fuit, quamvis Orientalium Episcoporum itinera moram fecissent. Praefulgebat Cyrillus Alexandrinus, quem bella Domini adversus Nestorium strenue gesta, et vicaria Sanctissimi Romanae Ecclesiae Antistitis Caelestini persona spectabilem omnibus venerandumque fecerunt: quin et plurimum ad majestatem contulit ipsius Theodosii praesentia, qui inter Episcopos circiter biscentum consedit; consedisset certe inter plures ex Africa accitis, nisi hostilis ubique furor, Wandalorum ex-

sititium illud symbolum aeque reveritae sunt: Generalibus Conciliis adnumeravit Chalcedonense Gelasius R. P. non vero CP. cujus symbolum tantummodo ab illo vim suam, et generalis constitutionis effectum mutuabatur. Porro ab aetate Gelasii aliis Synodis Oecumenicis recenseri caepit et laudatis exinde a Vigilio, Pelagio, et Gregorio M. Conciliis Oecumenicis, Constantinopolitanum quoque ob fidei Symbolum promerita laude non caruit. Haec tamen de canonibus ejusdem Synodi haud intelligantur qui ante Chalcedonensem, et deinceps, Latinis incomperti et ipsa Gregorii aetate minime probati, et forsan nonnisi post Concilium Lateranense IV. Oecumenicum publico Ecclesiae usui admissi sunt, ut arbitratur Natalis ab Alexandro in Hist. Eccl. saeculi IV. diss. 38. art. 5. pag. 602. edit. Lucae 1750. Cf. vero Ballerinii fratres in diss. de antiq. Collection., et collect. *Can.* part. 2. c. 1. §. 2. pag. LII. T. III. opp. S. Leonis edit. cit.

scursus, et temporis angustiae eosdem itinere prohibuissent. Intervenit et ipse Nestorius, cujus exemplum non est secutus cum Episcopis suis Joannes Antiochenus, quem moras quotidie magis interserentem Patres frustra expectabant. Hanc Joannis absentiam caussati fautores Nestorii, definitionem omnem avertere conabantur; provocantibus vero Patribus ad Canones, Nestorius e Synodo egressus est. Hinc hominis placita in disquisitionem redacta, post Nicaenum Symbolum recitatae in hanc controversiam literae Caelestini et Cyrilli novisque PP. suffragiis auctae, recitatae item Nestorii Epistolae cum capitulis, in medium adducti nefariae praedicationis Nestorianae testes Theodorus Ancyrae Episcopus, et Acacius Melitinae, falsa ex veris SS. Patrum sententiis subtilissime dijudicata, et dijudicatio in Synodi regestis consignata: quibus scite riteque exactis, verendum tandem oraculum prodiit, quo Patres Sacrorum Canonum auctoritatem Sanctissimi Patris, et *Comministri Caelestini* Epistolam, ut eorum verba sonant, obsequenter reveriti et ad lugubrem sane, sed omnino inevitabilem sententiam compulsi, Nestorium Episcopali honore sacerdotali consortio, alienoque coetu prohibitum declararunt. Quod gravius ad terrorem fuit, postero die Synodicae literae ad Nestorium ita inscriptae « *Sancta Synodo Nestorio novo Judae* » Ephesi palam propositae, et praeconis voce evulgatae hosticum canere visae sunt, quod universa Ephesina synodus

aegre vidit in turbis ab Joanne Antiocheno excitatis (147).

(147) Et sane paucis post diebus advenit Ephesum una cum suis Joannes Antiochenus infensos admodum animos gerens quippe qui nonnisi inique tulerat editam se absente in Nestorium sententiam. Qua re per conciliabolum suorum, omni posthabita legitimi judicii forma, rejectis a communione Episcopis Oecumenicae synodi, nisi (ut fatuus ille asserebat) resipiscerent, sibique adhaererent, sententiam quae melius Nestorium perculerat, in Cyrillum potius et Memnonem effronti consilio detorsit. Hae autem praecipuae causae objiciebantur; synodus nempe contra Divalem constitutionem, inexspectatis Episcopis omnibus congregata, intermixti rumores, atque tumultus; revictae Apollinaris, Eunomii, Ariique haereses, a Cyrillo in capitulis quae anathematismata vocaverat, et synodo (quod clamose urgebatur) acceptae. Insidiosis circumscriptionibus involutus Theodosius acta synodalia tanquam male affecta perfringebat, frangebatque hoc pacto animos Patrum, in quos haeretica pravitas cum principali Auctoritate conjuncta vehementius ferebatur. Sed demissam fortunam erexit animosque ut ita dicam levavit adventus Philippi Romanae Ecclesiae Presbyteri, Arcadii et Projecti episcoporum, quos Caelestinus et synodus occidentalis legatos dederat. Lectis enim epistolis Caelestini et perpensis omnibus quae in Nestorii causa fuerant peracta unanimis extitit damnationis et depositionis assensio, subscriptio facta nomine Pontificis et Synodi Orientalis, missaeque literae ad Imperatorem ad Clerum, et Populum CP. Ratio postea habita est quaestuum Cyrilli et Memnonis in Joannem, et adstipulatores episcopos, ipse (Joannes) iterato citatorio coram synodo adesse frustra jussus est, et sublata fuere quae in Cyrillum et Memnonem censuerat. In Sessione V. in Joannem et factiosos suos tertia vice in judicium vocatos, et contumaci insolentia se subripientes, excommunicatoriam sententiam protulerunt Patres, de quibus et Imperatorem et Caelestinum Pontificem certiores fecere. Tum hisce rebus intenti erant Patres dirimendisque privatis controversiis disciplinae asserendae novo subfuit zizaniorum seges, inductumque in animum Imperatoris ut Cyrilli et Memnonis amotionem ratam haberet. Id negotii dedit Caesar Joanni sacrarum elargitionum comiti, qui cum Ephesum pervenisset episcopis adhibitis et imperatoriis literis recitatis, Nestorium Candidiano Comiti, Cyrillum et Memnonem Jacobo Comiti credidit

§. XI.

Concilium Chalcedonense Oecumenicum.

Accommodate ad voluntatem Marciani Aug. et ad ejusdem literas jubebat Concilium Nicaeae Leo Pontifex Maximus mittens illuc Paschasinum Episcopum Lylibetanum cum Lucentio, Bonifacio et Basilio, qui cum partes suas Legati in Urbe regia jam agerent, easdem Concilio Praefecti tueri deberent, addito autem consiliario Juliano Coensi Episcopo.

custodiendos. Verum acrius remedium quaesitum est, quam mala ipsa postulabant, et contentio magis quam extincta infestius exacerbata. Patres itaque magnae synodi nihil inexpertum relinquere nulli studio officioque parcere quod pristinam libertatis atque honoris integritatem Cyrillo et Memnoni restituere videretur, et cum praeciderentur a Joanne et ab Orientalibus literaria commercia inter synodum, et Constantinopolitanam Urbem, epistolam ad Theodosium ad Episcopos in regia civitate degentes, ad Clerum et ad Dalmatium Archimandritam, arundine inclusam per mendicabulum Constantinopolim miserunt. Rebus ita exploratis questus ingens totam implevit Urbem obtulitque clerus pro synodo supplicem Imperatori libellum, eundemque Ecclesiasticae libertatis testem. Hinc vocati Constantinopolim legati ex utraque parte, ubi Chalcedonem appulerunt ibidem consistere jubentur, eosque Theodosius in Rufinianam villam secedens audit, et alloquitur, qui deinde, relictis Chalcedone schismaticis, et Constantinopolim revertens vultque synodicos legatos, comites adhibet, ut ordinaretur ad Episcopus in locum Nestorii, synodum dimittit, restitutis interea episcopis in sedes suas, Cyrillum Alexandriam redire jubet, Memnonem Ephesi manere, Nestorium Monasterio suo S. Euprepii ad Antiochiam a quo melius non emersisset, consignat. Longius quo par est haec nostra nota abiit, sed rei gravitas id expostulavit. Qui plura cupit adeat Labbeum Tom. III. Conciliorum col. 569. et seqq., et T. IV.

Sed quia reipublicae negotia Imperatorem Nicaea arcebant, obtigit Chalcedoni, eximiae in Bythinia Urbi, ut consessu omnium nobilissimo amplius illustraretur, et post peractam Synodum (integro Nicomediae nomine) Metropolis appellari mereretur. Quae omnia egit Synodus peculiariter sciri nequeunt, cum in actis recensendis, digerendisque incredibilis discrepantia sit codicum atque confusio. Nulla tamen obscuritas inhibere potuit quominus et in hodierna luce praecipua clarescant Chalcedonensis Concilii erga Catholicam Religionem merita, illudque potissimum quo in Actis Ephesinae latrocinalis Synodi antiquandis effulget (148).

§. XII.

Condemnatio Dioscori.

Actio prima, quae fuit VIII. Id. Oct. an. 451. jussu Paschasini Legati Apostolici in causa Dioscori e conciliari subsellio ad reorum vulgus demissi, versata est. Recitatis actis pseudo-Synodi Ephesinae, recitatis item actis Synodi Constantinopolitanae sub Flaviano quando damnabatur Eutyches, Legati Leonis Dioscorum, quem ternis totidemque irritis citationibus in judicium vocaverant, nunc nota damnationis inustum, ab apice pontificali, Sacer-

(148) Vidd. Cit. Labbeus T. IV. et Tomus II. opp. S. Leonis edit. Baller. col. 494. et seq. tum in diss. Quesnel. tum in editorum adnotat.

dotioque dejectum, eo, quo valebant, Apostolicae Auctoritatis pondere compresserunt. Profecto nonnisi severe coercendus videbatur Dioscorus, qui haeretica adspersus labe, violenter gradu pulsis per Ephesinum conciliabulum Flaviano et Eusebio, Eutycheti jure damnato studebat, Leonis Epistolam legendam haudquaquam siniverat, Leonem » *cui vineae custodia a Salvatore commissa erat.* » a vinea ipsa per excommunicationem avellere pertentaverat, ter denique ad dicendam causam accitus, causam desperans, adesse noluerat. Respondit judicio legatorum rogata Patrum sententia, Dioscoro postea, Alexandrinis, Marciano et Pulcheriae Augg. significata, additumque commonitorium Constantinopolitanis, et Chalcedonensibus quandoquidem Dioscorus se propere in Sedem restituendum jactitabat (149).

§. XIII.

Quis honor dogmaticae Leonis Epistolae a PP. habitus.

—

Pereximio honoris testimonio Actio secunda VI. Id. Octobris habita Leonis Epistolam cumulavit. Petentibus enim Judicibus Imperialibus Fidei expositionem, Patres subscriptam ab omnibus Leonis epistolam contra Eutychetem postulationi optime satisfacere professi sunt. Ut aliqua autem Legatis ratio haberetur, lectis Symbolo Nicaeno et Con-

(149) Cff. Ballerinii Fratres T. II. cit. opp. S. Leonis col. 503. et seq.

stantinopolitano, et literis Cyrilli ad Nestorium, legebatur etiam epistola Leonis ad Flavianum, et extra omnem censoriae animadversionis dubitationem ea omnino esse a cunctis Episcopis praedicabatur, quae Patrum, quae Apostolorum, quae Catholicae universitatis fidem referat, *et per Leonem locutum Petrum* ostenderet (150). Subortis vero ob idiomatis varietatem scrupulis in quasdam illius Epistolae partes Episcopis Illyricianis et Palaestinis, adhibitus est Anatolius qui dubitationes excuteret. Eventus rei providentiam Patrum, Epistolae ipsius praestantiam commendavit, patuitque, nubes illas non ad obtenebrandam sed ad veritatem magis magisque clarificandam fuisse immissas. Actione Quarta neque lectio Epistolae facta est, neque disquisitio, devictaque nonnullorum ignoratione magisquam pertinacia, ex voto contigit, ut qui primi ancipites animos attulerant, nunc ultro suffragia ferrent nullumque errori suffugium superesset, quem una vox unus spiritus repellebant (151).

§. XIV.

Fidei definitio contra Eutychetem.

Quamvis Chalcedonensibus Patribus superfluum esset Fidei declarationem iterare praeter Nicaenum et Constantinopolitanum Symbolum, synodicas Cyrilli literas, insignemque Leonis ad Flavianum Epi-

(150) Cf. ut sup. p. 506.
(151) Cf. ut supr.

stolam; attamen sollicitis Caesarianorum Judicum precibus moti vel potius fatigati, alteram quamdam Fidei expositionem Episcopis nonnullis conficiendam indulsere. Quae nova expositio ab Asclepiade Diacono CPae ecclesiae in sessione V. recitata, et Episcopis plerisque accepta, Legatis nihilominus, et Orientalibus Episcopis nonnullis manca esse et Eutychianum quoddam subolere visa est cum Christum *ex duabus esse naturis* profiteretur, hae vero an distinctae sint, ut Catholici praedicant, an permixtae, ut Eutyches voluit, tacitum liquisset. Itaque urgentibus Legatis definitionem aliam, quae omnium oculos nimio lumine perstringeret, tres e dioecesibus singulis Pontica, Asiana, Thracia, et Illyrica, Antistites electi sunt, qui una cum Legatis et Anatolio Episcopo CP. vel bonorum omnium votis, vel malorum ingeniis occurrerent, idque tam enucleate, tam apte praestitere, ut nihil illis implendis, hisce vero revincendis deesset. Nicaenum et Constantinopolitanum Symbolum, literas Cyrilli Synodicas, et adversus Eutychianam licentiam novam honestissimamque Leoninae epistolae commendationem habebat recentior definitio, quae postea in Sessione VI., praesentibus Imperatore cum Pulcheria Augg. regiisque summatibus, omnium subscriptione et cumulatione, nullum latius praeconium desiderare potuit (152).

(152) Vide symbolum inter acta Concilii Chalc. ap. Labbeum Actione V. quae ext. a col. 1443. ad 1462. T. IV. concil.

§. XV.

Canones ex Synodo.

Compositis per alias Synodi Sessiones nonnullorum Episcoporum controversiis, disciplinae consultum est variis Canonibus, quos 27. Latina, 30. Graeca collectio enumerat (153). Horum 27. quos Graeci latinique Codices Actioni XV attribuunt, verius pertinent ad Actionem VII. (154). Canon de CP. Sedis praerogativa non ab Actione XIII., sed post XIV. prodiit (155) et, absentibus Legatis, Ponticam, Asianam, et Thraciam Dioecesim patriarchalibus juribus auxit. Hujusce Canonis certiores facti Legati haud segniter restiterunt, obnitentibus e contra Synodi relatu, Marciani literis, et Anatholii efflagitationibus apud Leonem Pontificem Maximum, qui adversus regios conjuges, et instantissimas Juliani Coensis, Patrumque Chalcedonensium preces firmum invictumque animum prae se gessit. Ca-

(153 Vid. Labbeus T. IV. Conc. col. 1682. ubi col. 1691. et seq. extant canone ex graeca collectione, qui in latina desiderantur de quibus videantur Fratres Ballerinii admonitione in actionem Concil. Chalc. quam ex antiquis venetis Mss. ediderunt in Appendice Epistolarum S. Leonis.

(154) Juxta codices venetos S. Marci, cod. Latinum Acumitensem, et Ms. Capituli Veronensis 55. de quibns Fratres Ballerinii T. II. Opp. S. Leonis col. 503. in adnot.

(155) Vidd. adnotationes Balleriniorum T. II. opp. S. Leonis col. 514. n. 30. et 31.

non a romana sententia improbatus, nullo meliori exitu functus est, neque pro judicato habitus; sanctissimi vero Principis constantiam, quae privilegia Ecclesiarum juxta Nicaenum praescriptum custodiebat summae ipsius Marciani laudes (rapit enim vel invitos admiratio virtutis) in caelum extulerunt. Quinimo excussus e veterno Anatholius insanisque consiliis valedicens in epistola ad Leonem Pontificem omnem illius Canonis noxam in Clericos CP. Ecclesiae refudit, *cum* (demissa haec sunt illius verba) *et sic gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerint reservata* (156).

§. XVI.

Synodus CP. II. ejusque causa.

—

Origenianae contentiones, earumque judicium a Justiniano latum anno circiter 543. aliarum discordiarum ignitabula extiterunt. Theodorus (157) Caesariensium Pontifex in Cappadocia Origenianae causae conjunctissimus, et Acephalis (qui Decreta Chalcedonensis Concilii oppugnabant) fortasse etiam subassentiens (158), novis litibus fomitem suppedi-

(156) Reliqua quae ad Conc. Chalc. referuntur videantur apud citt. Ballerinios, Labbeum, et Bertium T. IV. Hist. Eccl. diss. X. col. 138. et seqq. Consulatur Natalis ab Alexandro T. V. Hist. Eccl. diss. XI. saec. V. p. 239. et seqq. edit. Lucae 1751.

(157) Cognomento *Ascidas*.

(158) Theodorum *acephalum secta dicunt* Facundus Hermianensis, et Liberatus Diaconus; verum animadvertendum ab Africanis infamatos hoc nomine omnes acephalorum hostes fuisse.

taturus Justiniano persuasit Acephalos ad Ecclesiae caulam facili negotio reducendos, ubi tribus Capitulis, quae Fidem non attingebant, iisque erant invisa, corrigendi gratia manus admoveretur (159); Facilem Ecclesiasticis negotiis arripiendis Imperatorem, facilem quoque habuit Theodorus ad damnationem trium Capitulorum, quae exitu 543. vel initio anni 544. per Edictum promulgabatur (160). At, subscripta licet timido invictoque animo a Patriarchis aliisque Episcopis Orientalibus condemnatio apertissimos hostes nacta est Stephanum Diaconum Apocrisiarium Vigilii Pontificis apud Caesarem, et Episcopos Occidentales (161). Hisce relligio fuit Capitulorum causam tueri, nomenque Concilii Chalcedonensis (162).

(159) Damnaretur nimirum Theodorus Mopsuestenus cum ejus scriptis, proscriberentur libri Theodoreti contra XII. Cyrilli Alex. capitula in Ephesino Oecumenico Concilio adprobata, atque tandem animadverteretur in epistolam Ibae Edesseni ad *Marim Persam* in qua plura adversus Cyrillum et Ephesinam synodum, plura autem pro Nestorianis continebantur.

(160) Justiniani edictum periit, nec illud est quod legitur apud Baronium ad an. 546. T. X. Annal. cum crit. Pagii edit. Lucae 1741. Cf. Ballerinii in Defensione dissertationis Norisianae de synodo V. adversus diss. Patris Garnerii cap. 3. col. 1002. et cap. 4. col. 1007. T. IV. opp. Norisii edit. Veron. 1732. ex Typographia Tumarmaniana.

(161) Illyricos, Italos, Gallos, Hispanos omniumque acerrime Afros.

(162) Nam cum in synodo Chalcedonensi facta fuerit mentio Theodori Mopsuesteni per epistolae Ibae lectionem, quia ipse ejusque scripta damnarentur, Theodorus autem et Ibas Edessenus tan-

§. XVII.

Judicatum Vigilii R. P. ad Mennam.

Sed cum videret Justinianus Imp. animorum discordias in dies gliscere, in eam sententiam venit ut in plena Synodo controversia dirimeretur, jussitque Vigilium hac de causa Constantinopolim accersiri. Eo cum pervenisset Pontifex VIII. Cal. Febr. An. 547. obsequens Caesari qui Synodum efflagitabat, exorsu anni 548. Episcoporum LXX. Concilium inchoat, eventumque pertimescens non ex voto procedere, imperat Episcopis, ut singuli quid sentirent, scripto consignent et ad se mittant. Acceptis responsis ac sedulo inspectis, Vigilius in tria Capitula sententiam ferens, quam *Judicatum* appellavit, mittit ad Mennam, et in eo scripto hanc clausulam « *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis* » Qui vero utrique parti gratificari studuerat incredibile dictu est quam multos hoc facto offenderit, quibus dissidiis occasionem praebuerit. Ubi enim de Judicato certiores facti sunt Occidentales Antistites, continuo invidia onerare Pontificem, in-

quam Catholici episcopi fuerint recepti, quin diserte operibus anathema dicerent, verebantur Episcopi occidentales, ne, damnatis scriptis Theodori Mopsuesteni, Theodoreti in Cyrillum, et Ibae nec non Theodoro ipso, quaedam correctio fieret Concilio Chalcedonensi, quemadmodum antea pertentaverat Xenajas Monophysita de quo habet Evagrius scholasticus lib. III. Hist. Eccl. cap. 31. pag. 361. et seqq. edit. Cantabrig. 1720. T. III. scriptorum Hist. Eccl. per Reading.

jectam securim Chalcedonensi Synodo, Fidem in discrimen adductam, traditam Acephalis Ecclesiam, conqueri, ingentique verborum turba obstrepere: Quinimo tam vehemens excandescentia flagravit, ut Rusticus et Sebastianus Romanae Ecclesiae Diaconi, viri ejus aetatis perdocti, ejusce communionem tamque proditricem desererent, et (quod gravius est et singularis audaciae) Africani Episcopi aestu quodam abrepti Vigilium trium Capitulorum damnatorem anno 550. anathemate confingerent, et cui princeps est in Ecclesia locus et munus, nullum praeterea locum extare a furentissimo hominum conventu clamitaretur.

§. XVIII.

Resistit Vigilius Edicto Justiniani.

In tanta animorum scriptorumque acerbitate nil ad quaestiones finiendas magis compendiarium Vigilio aeque ac Justiniano visum est, quam plenaria Concilii convocatio. Et licet gratum haberet Vigilius Synodum in Italia fieri, se tamen accommodavit Imperatori qui Constantinopolim jamdiu spectans, concilium eo convenire jussit. Prudenter autem ad novas contentiones cavendas egerat Vigilius cum Caesare, ut a Menna judicatum sibi redderetur, cum in Synodo quaestio esset redintegranda, et ne quid usque ad Synodi decretum de tribus Capitulis posset submoveri. Ast Theodorus

cui jam parum videbatur quod Imperator a Vigilio expresserat, instabat ut, neglecta Chalcedonensis Concilii mentione, tria rursus Capitula presse et simpliciter condemnarentur; nimisque credulum Justinianum sibique fidentem ad alterius Edicti promulgationem pertrahebat. Vicit tamen insignis in exemplum Vigilii constantia, quem illata iterum atque iterum vis, injectae manus satellitia, atque insectationes (vices atque aerumnas ejusmodi, novimus ex literis Encyclicis ipsius Vigilii) expugnare non potuerunt; vicit enim Augustum, qui Edictum suum abrogavit, necnon et Theodorum cum aliis praejudicatae opinionis Episcopis, qui supplices libellos dederunt Pontifici, et admissorum veniam postularunt]. Vacans interea ob mortem Mennae Constantinopolitana sedes Eutichium pietatis doctrinaeque commendatione ornatum accipiebat.

§. XIX.

Synodo Oecumenicae annuit Pontifex.

—

Parum momenti sentiebat Vigilius de Orientalium ingeniis faciendum esse, quos ad Caesaris magisquam ad Ecclesiae partes noverat inclinari; inflexibiles e contra verebatur Occidentalium animos, *triumque Capitulorum* damnationi perpetuo obstistentes. Precibus itaque Eutychii CP. delinitus a Synodi celebratione minime dissensit, urgens vero quam maxime ut pari utrinque numero Graeci La-

tinique Episcopi convenirent. Sed neque hoc impetrare potuit, et quamvis ob exiguum Occidentalium numerum partes non aequarentur, in diem tamen IV. Non. majas anni 553. Justinianus Concilium indixit, quo tres Patriarchae, Patres 165. coacti sunt. At non cnm iis Vigilius, licet splendidissimo invitatu accitus, quippe qui posthabitus conditiones, laesamque ab Imperatore libertatem Ecclesiae haud aequo animo ferret. Conventus suos nihilominus, absente Vigilio, favente Caesare egerunt Episcopi, et octo Collationibus (163) constitit Synodus, Professi Catholicam Fidem, quam Apostolica praedicatio, sanctor. Patrum doctrina, et quatuor Oecumenicae Synodi tradiderunt, blasphemia Theodori Mopsuesteni animadvertunt Collatione IV. e V. et Cyrilli Alexandrini scriptis, et Synodi Mopsuestenae decretis innixi contra errores, errantemque licet demortuum sententiam conijciunt; idem omnino fatum, quo subsequentibus collectionibus funguntur scripta Theodoreti, et Epistola Ibae ad Marim Persam, non vero eorum personae queis post exploratam fidem, parcendum existimatur.

§. XX.

Synodum V. adprobat.

Hanc autem Synodum Vigilii praesentia carentem, et edito Constituto, improbatam, nemo oecumaenicam dicere recusat, cum ad ea, quae de tribus

(163) Ita sessiones illas volunt appellari.

Capitulis decrevit, ipsius Vigilii, et successorum Pontificum auctoritas accesserit. Prodiderunt equidem memoriae Latini Scriptores Anastasium secuti, Vigilium auctoritatem, quam diximus, addere inficiantem, solum propter a vertere coactum, et Romanorum Clericorum studiis et de precationibus ad subscribendum denique fuisse compulsum (164). Neque tribus Capitulis magis faverunt Vigilii successores Pelagius I., Joannes III., Benedictus I., Pelagius alter, S. Gregorius M. aliique, a quibus et Synodus V. comprobata et quatuor aliis oecumaenicis adnumerata fuit. Cum autem superessent a Synodo V. occidentales Ecclesiae nonnullae, queis damnatio trium Capitulorum minime probaretur, in eximiam Pelagii I. gloriam successit, ut cunctam fere Italiam, Africam, atque Illyriam, renuentibus Veneto atque Istriensi Episcopis, in Capitulorum reprobatione consentientes videret. Episcopos Venetis finitimos concordes habuerunt Gregorius M. et Honorius Pontifices; reliquos Sergius (165).

(164) Fragmenta nonnulla actorum Concilii V. quae edidit Stephanus Balutius ex Ms. Parisiensi Claudi Jolii apocrypha censemus cum fratribus Balleriniis in defens. diss. Noris. de Synodo V. c. VI. col. 1035. T. IV. opp. Norisii edit. Veron. j. c.

(165) Ex hucusque relatis ab cl. auctore apprime patet quod inter Concilia Chalcedon. et synodum V. nulla excogitari possit pugna, quasi vel erraverint Patres Chalced. in non condemnandis tribus Capitulis, vel erraverint Patres Synodi V. in iis anathemate perstringendis. Omissis enim prioribus Synodi V. accusatoribus, Istriae nempe et Venetis Episcopis, Victore Turonensi Liberato Diacono, Facundo Hermianensi schisma potius conflantibus quam decretis synodi V. obsequentibus, illos commemorabimus qui ex hoc synodi de-

creto contra tria capitula deducunt, alterutrum Concilium errasse (syn. Chalc. et Syn. CP. II.) et Catholicos oppido falli putantes Concilia Oecumenica in definiendis rebus ad fidem pertinentibus errori haudquaquam esse obnoxia. Ita Protestantes, quibus addendi Janseniani ex hujusmodi decreto concludentes, Ecclesiam errare posse in factis dogmaticis judicandis. Quam a vero aliena sit eorum conclusio, constabit ex dicendis. Et primo jure ac merito et absque ulla injuria vel detrimento Ecclesiasticae auctoritatis tria capitula in synodo V. damnata fuisse asserimus. Quoad Theodorum Mopsuestenum, ejusque scripta, id patet ex canone XII. Syn. V. ap. Labbeum T. VI. Concil. col. 214. Venetiis 1729. ex actis collationis IV. et V. vidd. ap. Labbeum T. VI. Concil. col. 43. et seqq. ubi plurima extant Theodori testimonia Nestoriano errore referta, ex lib. 3. contra Apollinarem ubi docuit non de virgine natum esse Christum. Cf. ut supra. Quae omnia toto animo in vulgus spargere pertentabat, in iisque credendis atque evulgandis ita pertinax apud veteres habitus est ut etiam ante Synodi V. celebrationem ejus nomen ex diptychis Mopsuestenae Ecclesiae abrasum videamus in relationibus ad Vigilium R. P. et Justinianum Imp. missis ab Synodo Mopsuestena adv. Theodorum ipsum convocata. Vid. col. 119. T. VI. Conc. per Labbeum. Cf. codex Theodosianus de haereticis lege postrema, quae in Nestorii et Theodori asseclas fortiter animadvertit. Quare optime concludit Pelagius II. « deductas itaque tot testibus blasphemias has ejus esse quis dubitat? Et tantis blasphemiis illius cognitis, eum damnatum jure quis neget? » - in ep. ad Eliam Aquilejensem et alios Istriae episcopos schismaticos - ext. T. VI. Concil. per Labbeum col. 272. lit. D. ubi plurima alia ad rem inveniuntur. Quoad Theodoretum, nos neque de persona, neque de omnibus ejus scriptis loquemur, cum synodus V. damnarit ea tantum scripta quae ad Nestorianam causam pertinebant. Consulito igitur Theodoriti fragmenta, quae a Patribus Conc. V. producuntur in collatione V. apud Labbeum T. VI. Concil. col. 123. et seqq., in iisque Nestorianam haeresim eum edocere, acriterque defendere videbis. Nemo ignorat Theodoritum scripsisse contra Cyrillum ejusque anathematismos XII. (extant col. 159. ap. cit. Labbeum) Quoad Ibae epistolam ad Marim Persam, satis est eam perlegere ap. Labbeum cit. T. VI. col. 131., ubi Theodorus Mopsuestenus ut veritatis magister laudatur, Ephesina Synodus inculpatur, S. Cyrillus ut Apollinaris erroribus imbutus describitur, ejusque XII. anathe-

matismi impietate pleni dicuntur, Nestoriana haeresis edocetur. Jure igitur ac merito tria capitula in Concilio V. damnata sunt. Nec obstat quod ait Facundus Hermianensis lib. 10. operis pro defensione trium Capitulorum cap. 4. ext. T. II. opp. var. Sirmondi col. 727. et seqq. Parisiis 1696. quasi Ecclesia vel ex instituto vel ex potestatis defectu semper abhorruerit ab homine in pace Ecclesiae defuncto condemnando. Videant enim quid scripserit Augustinus de Caeciliano in epistolis ad Bonifacium comitem, quid actum sit contra Valentinum, Marcionem, Basilidem aliosque, quid egerit synodus Mopsuestena, quid Ephesina contra ipsum Theodorum. Legatur tandem epistola jam supra cit. Pelagii II. ad Episcopos Istriae. Accedit quod Theodorus pertinaciter ad mortem usque haeresim Nestorianam defenderit ideoque tanquam ab Ecclesiae communione jam separatus habendus erat ante condemnationem a Concilio V. prolatam. Cf. Augustinus lib.4. de Baptismo c. 16. col. 135. T. IX. opp. edit. Maurinae Paris. 1688. Quoad cetera adi Theologos. Cff. Chriastianus Lupus in diss. de V. Synodo, Natalis ab Alex. diss. IV. in saec. VI. pag. 506. T. V. Hist. Eccl. edit. Lucae j. c., et Laurentius Berti de Theologicis disciplinis lib. 26. c. 17. pag. 225. et pag. 236, et seq. T. V. Romae 1740. Hisce positis restat ut propositum alterum demonstremus, nullam nempe pugnam adesse inter Syn. IV. et Syn. V. quoad tria capitula, ideoquo absque ulla injuria, et detrimento Ecclesiasticae auctoritatis, Synodum V. condemnasse haec tria Capitula. Possem hic eorum proferre sententiam asserentium Concilium Chalcedonense fuisse oecumenicum sex prioribus tantum sessionibus, in quibus nihil de tribus capitulis actum est. Sed cum non ii simus qui id credamus, certiora prostent (Cf. Orsius in opere *della Istoria Ecclesiastica* T. XIV. lib. 33. pag.301. et seqq.) Inter Concilii Chalcedonensis decreta nullum invenimus de Theodoro et ejus operibus, constat tamen ea in synodo damnatum una cum erroribus suis Nestorium, coactosque Ibam, et Theodoritum, ut Nestorio ejusque erroribus anathema dicerent. Cum vero, ut supra adnotavimus, Theodori Mopsuesteni scripta Nestorianis erroribus scaterent, nemini dubium erit implicite a Patribus Concilii IV. damnatum cum Nestorio fuisse Theodorum ejusque scripta iisdem erroribus referta. Nec obstat Ibae epistola in Concilio Chalced. recitata in qua laudabatur Mopsuestenus; patres enim nec eam probarunt nec omnes nefarios et haereticos quorum nomina in Conciliis apparent condemnare tenentur. Ad Theodoriti scripta sic argumentari liceat. Patres Chalcedo-

§. XXI.

Synodus CP. III. Oecumenica.

—

Pacatis Imperii rebus cum Saracenis et Bulgaris qui sese in Romanorum fines effuderant; Constantinus Pogonatus ad pacandas etiam Ecclesias, quibus multum Monothelitae (166) calamitatis intulerant, Oecumenicam Synodum etiam atque etiam cogitavit. Re tanti consilii cum Agathone Pontifice mature collata, hic cernens Ecclesiae tempora, et futuras tempestates prospiciens, petenti libenter annuit, simulque jubens per varias regiones ante celebrationem Synodi Oecumenicae Episcoporum conventus agi, in

nenses receperunt synodum Ephesinam, et epistolas Cyrilli, coegerunt Theodoritum anathema dicere Nestorio, ejusque erroribus, in Theodoriti scriptis Synodus Ephesina impugnatur una cum epistolis Cyrilli, Nestorius, ejusque doctrina summis laudibus extollitur, et defenditur, Chalcedonenses itaque Patres quin probarent doctrinam Theodoriti eam potius improbarunt. Relate tandem ad epistolam Ibae ad Marim Persam, satis est perpendere fieri non potuisse ut Patres Chalcedonenses sibi contradixerint et adprobando citatam epistolam, quae universam eorum doctrinam cunctasque sententias subvertebat et Nestorium ejusque errores simul condemnando. Legatur haec epistola. Ceterum si legati Pontificis eam laudarint, laudarunt quidem epistolam Cleri Edesseni non vero citatam, vel alia monumenta respexerunt, ut ex argumentis congruentiae quisque demonstrare posset. Vidd. sup. cit. scriptores Lupus, Natalis ab Alex., et Bertius. Pro Vigilii defensione sunt argumenta apud Sirmondum et etiam de Marca contra Bossuetium *in defensione Cleri Gallicani* et Jansenianos.

(166) Vid. Christianus Lupus in dissertatione de VI. Synodo generali capp. I. et IV. ext. Tom. III. opp.

quibus, excussa quam diligentissime Monothelitarum haeresi, ejus quoque damnatio praeoccuparetur. Legatos mittit deinde Constantinopolim Theodorum, et Georgium, Romanos Presbyteros cum Joanne Diacono ut vicaria potestate fungentes, vetusto more et exemplo, Synodo praeessent. Quo numero antistitum constaret Synodus, proferre non ausim, res enim vertitur inter Scriptores; at celeberrimam fuisse constat, quam Imperatoris procerumque suorum praesentia, et subscriptio decoravit, et nihil arroganter in definiendo praesumens contra omnem perfidiam munivit (167).

§. XXII.

Concilii VI. Acta et Decreta.

Duodevicenas Actiones habuit Synodus, quarum quinque anno 680, reliquas anno insequenti. In iis, post acta priorum Conciliorum recitata, insignis Monothelitarum fraus detecta est, qui epistolam ad Vigilium nomine Mennae confectam, et duos libellos Vigilii alterum ad Justinianum, alterum ad Theodoram malitiose Actis V. Synodi interseruerant; quae deceptoriae ac subdolae artes ignominiis omnibus sunt affectae. In idem dedecus incurrerunt tres Macarii Antiochaeni codices, in quibus plures SS. PP. sententiae ad unicam in Christo volunta-

(167) Vid. Lupus cit.

tem atque operationem asserendam depravatae ac detortae continebantur: corruptor ipse sacris comunibus e gradu amotus poenas dedit, quas et dederunt monachus quidam nomine Polychronius, delirus senex et fatuus, somnialium miraculorum praestigiarumque jactator, Constantinus Apameensis in Syria Presbyter, qui exutam morienti Christo voluntatem humanam commentans de reperta Catholicorum et Monothelitarum conventione gloriabatur. Actio demum XVII. Fidei formulam depositionis, et anathematis poenam protulit, si quis non fateretur = *duas esse in Christi voluntates et operationes naturales indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, et inconfuse* = Haec omnia, cum Synodi literis, Leoni II. Agathonis successori oblata decretoriam confirmationem, Synodus vero locum inter oecumaenicas obtinuit (168).

§. XXIII.

De Honorii damnatione in VI. Synodo.

Nil in historia contemptu risuque magis excipiendum, nil fastidiosius obijci solet quam Honorii damnatio per Concilium VI. Cujusce damnationis causas qui curiose scrutantur in duas praecipue sententias divertisse videmus. Sunt enim neque hodie multi nec magna fide auctoritateque praediti qui infectum monothelitica haeresi Honorium, et

(168) Vid. historia hujus Concilii, et acta et canones apud Labbeum T. VII. Concil. col. 609. et seqq. Cf. etiam cit. Lupus.

hoc etiam nomine jure damnatum contendunt, atque hos inter nonnulli Romani Pontificis infallibilitatem Honorii lapsu satis impugnare posse arbitrantur, alii privati tantum hominis errorem in Honorio agnoscentes, peculiare RR. Antistitum privilegium illaesum mansisse asseverant. Sunt qui hanc maculam homini delent, et Patres Concilii VI. veluti inscitissimos traducere non dubitant, eo quod non Honorii, sed Monotheliticos sensus, qui nulli erant, in ejus epistolis sint interpretati; neque enim ad veri similitudinem accedit depravatis corruptisque monumentis hallucinatos Patres anathema in Honorium tulisse. Sunt tamdem qui Honorii nomen amanuensium sive incuria sive malitia VI. Concilii actis additum fuisse velint. At viri cordati plures a dissimulatione atque a turpi erga Monothelitas conniventia illum criminantur damnatumque asserunt quod vituperanda incuria hostium animos et insolentiam auxerit, Ecclesiaequae causam Sergio vexandam permiserit. Atque ita sentientes veritatem optime assequi plane confirmant clarissimi Sextae Synodi interpretes Constantinus Pogonatus et Leo II. Ille equidem Decreto suo in eam Synodum duo meminit hominum genera, qui damnati fuerant, haeresis nempe Auctores fautoresque, inter quos Constantinus Pogonatus adnumerat Honorium. Leo autem II. qui Acta Synodica probavit, et de gestis ac decretis Conciliaribus per legatos suos certior factus causam cur Honorius damnatus esset non potuit

non exploratam habere, hominem tantummodo incusat qui *haeretici dogmatis flammam, non, ut debuit, extinxit, sed negligendo confovit, qua immaculatam Apostolicae Traditionis regulam non macularit quidem ipse, sed maculari permisit* (169).

(169) Scriptorum varias excipe sententias. Epistolam Sergii corruptam, epistolam primam Honorii corruptam, alteram confictam putarunt Bernardus Desirant in opere – *Honorius Papa vindicatus salva integritate Concilii VI. sive historia Monothelismi contra ultima Jansenistarum effugia – Aquisgrani typis Arnoldi Metternich* 1611. Johannes Bapt. Bartholus in opusc. inscripto – *Apologia pro Honorio I.* – edit. Ausugii 1750. Carolus Sardagna in Theol. Dogm. Pol. T. I. p. 370. edit. Romae 1819. Petrus Alex. Hugus in lib. de Honorio I. R. P. Bononiae 1784. Mamachius *Orig. et Antiq.* etc. T. VI. p. 95. et seqq. Abbas Corgneus tandem ut alios omittam, primam epistolam Honorii a Monothelitis vitiatam dixit in diss. edit. an. 1741. de Monothelismo. Ceteri scriptores nec corruptas epistolam Sergii et primam Honorii, nec confictam Honorii alteram existimant, inter quos etiam Catholici, qui tamen Honorium immunem ab omni monothelitica labe demonstrant, quibus adversantur Protestantes et nonnulli catholici; inter Protestantes Centuriatores Magdeburgenses centuria VII. c. 11. col. 553. edit. Basileae 1567. Frid. Spanhemius jun. in Hist. Christ. saec. VII. c. 8. col. 1219. T. I. opp. edit. Lugduni Batav. 1701. Joannes Forbesius a Corse lib. 3. Instructionum historico Theologicarum c. 2. et lib. 5. c. 24. et seqq. pag. 252. T. II. opp. edit. Amstelaedami 1702. Jacobus Basnagius lib. VII. c. 10. pag. 391. operis inscripti – *Histoire de l'Eglise* – A Rotterdam 1699. inter Catholicos vero Melchior Canus lib. VI. de Ecclesiae Romanae auctoritate c. 8. p. 209. opp. edit. Patavinae 1720. Ludovicus Ellies Dupinius diss. V. de Antiq. Eccl. disc. p. 349. edit. Paris. 1686, et Auctor Defensionis declarationis cleri Gallicani par. II. lib. XII. c. 22. et seqq. pag. 183. T. II. edit. Luxemburgi 1730. Honorium a Monothelismo defendunt prae ceteris Petrus de Marca in ep. ad Philippum Labbeum (Cf. Balutius in Comment. de ejus vita T. I. edit. Paris. *de Concordia* etc.) Ludovicus Thomassinus diss. 19.

§. XXIV.

Concilium Trullanum seu Quini-Sextum, et ejus auctoritas.

Ea consuetudine constanter utebantur Generalia Concilia tum ut difficiliora ad credendum obscurioraque dogmata declararent, haereses tollerent, controversias dirimerent, tum etiam ut ad vitae morumque disciplinam moderandam canones quosdam conficerent; quod cum V, et VI. Synodo praetermissum esse sentirent Trullanae (170) Synodi Patres, in id magnopere incumbendum existimarunt; de ea autem mandatum est anno 691. vel

in concilia T. I. diss. 20. pag. 911. edit. Paris. 1678. Joannes Garnerius in diss. de Honorii et Conc. VI. gen. causa (altera appendix diurni RR. PP.) p. 187. edit. Paris. 1680. Natalis ab Alexandro diss. 7. in Hist. Eccl. saec. VII. prop. 2. p. 597. T. V. edit. Luc. al. cit. Orsi T. I. par. I. l. 1. pag. 331. operis *de auctoritate RR. PP.* edit. Romae 1739. Alber. T. II. dissertationum diss. XI. Pestini 1820. Quoad acta VI. Synodi sunt qui ea corrupta et vitiata fuisse, suspicantur, sunt qui negant, quorum nomina recenset Mamachius *Orig. et Antiq.* etc. l. sup. cit. Cf. Jac. Chmel in vindiciis concilii oecum. VI. edit. Pragae 1777. Nec desunt qui Honorium non a Concilio VI. sed a Graecis nonnullis Episcopis damnatum arbitrantur. Nos vero aut minime condemnatum dicimus Honorium in Concilio VI. aut si qua in eum condemnatio fuerit lata, hanc non ob haeresim sed ob negligentiam, nimiamque conniventiam in Monothelitas latam fuisse affirmamus; haec postrema opinio placuit cl. Petro Caprano Cardinali, olim in Universitate Gregoriana Hist. Eccl. Professori cujus scripta adhuc inedita sunt. Cf. tamen cit. Alber. in diss. XI.

(170) Trullana vocatur haec synodus e loco quo celebrata fuit, in Trullo scilicet Palatii Imperatoris: vocatur etiam *quinisexta*, cum synodis V. et VI. additaretur.

692. a Justiniano II. cognomento Rhinotmeti, Pontificatum gerente Sergio I. Paulus, vel, ut nonnullis placet, Callinicus Episcopus CP., Synodo praefuit, ad quam Antistites supra biscentum convenere, in quibus fuerint ne Apostolicae Sedis Legati, adhuc ambigitur. Prodiere inde Canones 102. quos hodie etiam habemus, et cum vetustis novisque Scriptoribus contra unum Marcellinum Molkembhurium (171) genuinos credimus, et quoad majorum eorum partem debita honoris et obsequii significatione prosequimur, cum ad veterem Ecclesiae disciplinam et ad optimam, morum castigationem sint elaborati; caeteros vero 2.^m^ 13.^m^ 16.^m^ 30.^m^ 36.^m^ 55.^m^ 57.^m^ 82.^m^, qui majorum Clericorum celibatum, aliaque saluberrima instituta temere rejiciunt, et nos ipsi non immerito reijciendos censemus (172).

(171) In diss. *de conciliis et canonibus Trullanis*, *Eliberitanis*, *Ancyranis*, *Neo-Caesarensibus*, *Gangrensibus*, *et Laodicenis*, *de Canonibus quorundam SS. Patrum Poenitentialibus* - pag. 65. edit. Monasterii Westphalorum 1791.

(172) Perducta ad finem synodo, ejus canones Apostolica auctoritate roborandos Justinianus II. ad Sergium Pontificem misit, qui genitam ex iis sanioris disciplinae perniciem introspiciens, obfirmatum ad quaeque animum se gerere professus est antequam Trullanis placitis subscriberet; neque omnis spes obtinendae confirmationis Justiniano ablata fuit, qui ut primum potuit, de ea cum Joanne VII. ad supremum Ecclesiae culmen assumpto agendum curavit. Sed quia videbat postulationum intemperantia repulsas plerumque provocari, et nihil omnino cum Sergio se profecisse, dum plenam Canonum cunctorum adprobationem peteret, delectum canonum partialemque proinde earum rerum confirmationem Joanni obtulit, e quibus nulla vel

§. XXV.

Cnncilium Nicaenum II. Oecumenicum VII.

—

Paulo CP. Episcopo successit an. 785. Tharasius vir Catholicis omnibus acceptissimus, qui Thronum suum non antea ascendere voluit, quam Constantinus Imp. materque hujus Irenes oecumenici Concilii cogendi fidem dedissent. Hac igitur obstricti negotium ejusmodi una cum Tarasio detulerunt Hadriano Pontifici Maximo, qui libens volensque votis annuit, et Petrum Ecclesiae S. Petri Archi-presbyterum, et Petrum S. Sabae Abbatem, Constantinopolim, Synodo Praesides legavit. Sed et Orientales Patriarchae, Alexandrinus Antiochenus et Hierosolymitanus, quos triste Arabum premebat jugum et itinere prohibuerat, Legatos miserunt qui triplices ideo Patriarchalium Sedium partes agerent, vetustissimamque de Sacrarum Imaginum cultu traditionem idonei omnino testes loquerentur. Quibus ita comparatis, 17. mensis Augusti dies Anno 786.

morum integritati, vel comuni in Ecclesia sensui jactura posset oriri. At nec rebus ita temperatis major quam antea exitus obtigit; varia enim causatus Joannes a sententia abstinuit. Quae vero secuta est praedictorum VIII. Canonum discretio, reliquorumque confirmatio, eamdem Constantino adsignamus, qui Sisinnium in Pontificatu excepit, eo tamen pacto ut neque latinos homines, neque regiones alias praeter illas Episcopis auctoribus subjectas, Canonum auctoritas pertingeret. Vidd. Labbeus T. VII. Concil. col. 1327. Venetiis 1729, et Christianus Lupus T. III. opp. pag. 53. Venetiis 1724.

initium dedit Synodo, quam tutam tranquillamque habuissent Episcopi in Dei nomine congregati, nisi motus praetoriae coortis Iconomachorum scelus anhelantis insurrexissent. Hinc rebus imperatoria auctoritate pacatis an. 787., factum est, ut Augusti grandiora mente conciperent, et quoquoversus mitterent, qui Episcopos omnes Nicaeam Bithyniae Urbem advocarent, eamque refertissimo 350. Episcoporum numero, Apostolicis Procuratoribus, Tharasio, Monachis, et Optimatibus bene multis instructam ornatamque viderent (173).

§. XXVI.

Res Concilii gestae.

Octo recensentur hujusce Synodi Actiones, et in prima Constantini et Irenes ad Synodum Divalis lecta est quae jubet, dogmaticas Hadriani Literas in omnium conspectu, et silentio ad audiendum petito, « *secundum jus synodicum* » obsequenter recitari, deinde pax Ecclesiae et pristinum infularum decus Basilio Ancyrae, Theodoro Myrensi, et Theodosio Ammoriensi ob ejuratam haeresim restituitur: caeterorum vero redintegratio qui superiori anno violandae Synodi, turbarumque incentores extiterant, in posterum defertur. Actione II. sol-

(173) Cf. Christianus Lupus T. III. opp. de Synodo VII. Cap. XI. pag. 233. edit. cit.

lemniter lectae sunt dogmaticae Hadriani epistolae Imperatoribus, Synodo, et Tharasio inscriptae, et ab egregia christianae professionis laude Episcopis ad unum omnibus commendatae. Item lectae Actione III. Tharasii ipsius Synodicae ad caeteros Patriarchas, horumque responsiones, venerandae pro sacris Imaginibus traditionis testes. Scripturarum oracula, et SS. Patrum judicia, quae eidem cultui favent, Actio IV. in medium adduxit, et Iconomacos Patrum sensui repugnantes et Judaici, Samaritani, Saracenique ritus servatores et servos ostendit Quinta. Insequenti Actione, post salutationem reverentiamque sacris Domini nostri Deiparae Virginis, Caelitumque Imaginibus adhibitam, Acta Pseudo-Synodi sub Copronymo (174), eorumque refutatio locupletissima recitata sunt. Quod de Fide Decretum, subscriptum, et de gestis omnibus ad Hadrianum, virosque principes relatum est, Actioni III. debemus. Hisce ita exactis, Episcopos omnes cum Legatis in regiam Urbem vocant Principes Augg. rerum, quae intercesserant, significationem, et eorum ore excepturi; unde principalis civitas Actionem VIII. habuit, Canonibus duo supra viginti Oecumenica VII. Synodus ecclesiasticae disciplinae prospexit (175).

(174) Cf. sup. cit. Lupus cap. X. pag. 231. T. III.

(175) Cff. Labbeus T. VIII. Concil. col. 646. ed. Venet. 1729. et Christianus Lupus l. c.

CAPUT IV.

DE DOCTRINA ECCLESIAE.

§. I.

Haeresum origo ex perverso hominum sensu.

—

Quod ubique, quod semper, quod apud Catholicos omnes ab ipsis Ecclesiae incunabulis viguit, ut profani, et vaniloqui ad nova dogmata consurgentes, *quorum sermo*, inquit Ap. (2. *ad Tim.* 2. 16.) *ut cancer serpit*, subversi, delinquentes et condemnati (*ad Tit.* 3. 10.) haberentur, id quarto ac posterioribus saeculis Ecclesia, *civitas veritatis* (*Zach.* 8. 3.) pro officii sui religione praestare non destitit. Ad quam veritatis custodiam, veluti ad aram confugerunt omni aetate majores nostri, cum magistros mendaces novisque rebus studentes sectas perditionis introducere viderent. (2. *Pet.* 2. 1.) et cognatam Catholicae Ecclesiae doctrinam hesternis commentis objiciendo, an Spiritus ex Deo essent, an Satanae traditi, facillime dijudicabant. Ita praeclare Vincentius Lirinensis, cum PP. omnibus ostendit, non aliunde enatas haereses quam a superbo venerandae antiquitatis fastidio, concinitque mirum in modum S. Literis, quae homines *secundum*

desideria ambulantes et qui non erant ex nobis (*Judae.* v. 17. *S. Joan.* 2. 19.) passim praenotarunt. Nobilissimum e contra pro Catholicis argumentum effulget, qui majorum vestigiis insistentes non ab omni vento doctrinae, sed ab ultima antiquitate scita et dogmata requirebant, et quae Apostolorum praedicatio clamaverat, quae Martyrum sanguis decorabat, ad extremum vitae exitum tenere gloriabantur. Hinc nonnisi indignanter audiendi sunt qui pseudo-prophetis parcentes, putidam novatae doctrinae notam in Catholicos conjiciunt, et quos veritatis custodes honoris testimonio persequi debebant, eosdem, conversa rerum facie, tamquam *seductores et loquentes perversa* traducere non erubescunt. Sed indulgeant, quaeso, nobis paullisper, et saeculum quartum quod jam legentibus obversatur, respicere velint; innumera obversabitur profecto, Christianorum multitudo, quae per Ægyptum, Palaestinam, Syriam, Asiam, Graeciam, Italiam, Hispanias, et Gallias, late dissita, nihil in ea terrarum dissociatione inauditum, nil Patribus dissonum audet, sed in catholicam professionem quasi comuni consilio, conspirans, in *eodem sensu et in eadem sententia* (*Ap.* 1. *ad Cor.*) perfecta est.

§. II.

Episcopi Presbyteris Divino Jure potiores.

Quid itaque, non doctas fabulas, sed receptam doctrinam secuta Ecclesia Catholica, in profanas egerit novitates, parcissime delibabimus. Ac meminimus primo Aerii reprobationem, qui errores Arianis erroribus superaddens, discrimen Presbyteros inter et Episcopos a divino jure statutum denegare, piacularia defunctorum, Christiana jejunia, festum Paschatis diem tollere nitebatur, et veteris sententiae contemptor novaeque confictor, *antiquariorum* nomen et contumeliam in Catholicos institutorum tenacissimos jaciebat (176). Rursus ab Arianis dissidens, et Catholicis satis invisus, hunc demum tulit laborum fructum, ut haereticus utrisque haberetur.

§. III.

De Caelibatu et Martyrum Cultu.

Procul e Patrum doctrina recessit, quarto saeculo fortasse elapso Jovinianus. Huic tum caelibatus re sane, et, juxta nonnullos, etiam nomine a Caelo deductus, tum jejuniorum labor, in quo ani-

(176) Cff. Epiphanius haeres. 25. Philastrius haeres. 72. et Augustinus in lib. de haeresibus col. 18. T. VIII. opp. edit. Maurinae, Parisiis 1688. nec non discussio haereseos Aerii a Joach. Hildebrand. edita Helmstadii 1656.

mae nostrae humiliantur (*Judith.* 4. 8.) nil amplius apud Deum proficere quam conjugale foedus, et opipara obsonia videbantur. Haud dissimiliter Vigilantius, saluberrimis jejuniis, Sacerdotali Castimoniae, et monachorum institutis iniquus, tumulis et Martyrum ossibus, quae custodit Dominus, pervigiliis ac precibus, quae in eorum honorem agerentur, acre admodum bellum indixit. At Hieronymo, qui Catholicorum causam adversus fallacissima hominum ingenia defendebat, nil aliud opus fuit quam ad continentem et ubique terrarum receptam Ecclesiae consuetudinem fidenter provocare, ut illud verum quod prius, illud falsum quod posterius praedicabatur, ostenderet, ideoque Ecclesia, Civitas haec sancta Hjerusalem consuetudinis ac traditionis suae praesidio, tamquam omni armatura fortium munita, hostium armis objici potuit, concedere non potuit, et in sua ad haec nostra tempora possessione, adversariorum vi ac pene memoria deleta, constanter permanet Ecclesia (177).

§. IV.

Dogmatum Fidei uberior explicatio.

Accuratior ac novus verborum usus, qui post exortas haereses invaluit, et ad eas proterendas apprime facere videbatur, superiorem fidei defectum

(177) Vid. Hieronymus in libris adversus Vigilantium et Jovinianum, et in epistolis.

non arguit, sed potius cavet in posterum; neque de novis vocibus curatum esset, nisi dogmata, quae significabant, fuissent jampridem excepta. Refulsit itaque progressu temporum majori perspicuitate, et clariori lumine Catholica doctrina, sed plenitudinem atque integritatem suam numquam desideravit, quae omnia immobilis Fidei, ut Tertullianus praedicabat, atque irreformabilis propria omnino dignoscuntur. Plurimum sane ad hujusce auctoritatis firmitatem juvarunt Ecclesiam, numquam interrupta Patrum Traditio, quorum comunis sensus, Spiritus Sancti sensus est, tum gravissimi illi omnium undique Episcoporum caetus, quorum vox, Ecclesiae vox est; non alia enim generalium conciliorum extitit causa, quam ut doctrina singulis sub Sole fidelibus comunis, latius ac dilucidius a publico Ecclesiae Magistratu explicaretur, quae pascua ovibus permittenda, quae contra vitanda a Pastoribus consultaretur, et ad haereticorum licentiam, fraudes, ac spes praecidendas compendiarii canones, certaeque regulae decernerentur (178).

§. V.

Controversia de Hypostasis et Personae nominibus.

—

Ad fidam sinceramque veteris doctrinae custodiam utrumque pertinere sentiebant Catholici Epi-

(178) Cf. Aug. Orsius lib. 1. operis inscripti - de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio - Romæ 1739.

scopi, ut et nomina repudiarentur, quae apud Patres in Fidei explanatione minime occurrerent, et ut primo enunciarentur quae proprio vocabulo in omni antiquitate carebant. Hinc Pastores, qui pascere debent scientia et doctrina, et e quorum labiis requiritur sermo, (*Mat. c.* 2.) ne accommodata deesset nobis locutio in augustissimo illo Trinitatis Mysterio, cujus obsequium numquam defuit, deerit numquam, *Personae* apud Latinos, apud Graecos *hypostasis* nomen tribuerunt. Etenim cum unam essentiam, et tres hypostases, ideoque Divinitatis naturam, et trium personarum proprietatem Graeci fateri solerent: Latini queis ob illius linguae inopiam *hypostasis* distinctio ab *essentia* non satis innotuerat (179), ne triplici Essentia blasphemi viderentur, personarum vocem admiserunt. Inde celebre dissidium exortum, quo Orientales tres in Deo hypostases libere praedicantes, Sabellianismi suspicionem in Latinos commovebant; hi e contra par pari referentes, et tres hypostases dicere reformidantes Ariani sensus Graecos insimulabant: eoque devenit aestuosa contentio, ut periculum esset, ait S. Gregorius Naz. (180) ne orbis terrarum fines una cum syllabis abrumperentur. Utrique immerito tamen, atque injuria, cum utrisque

(179) Vid. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. in laudem M. Athanasii pag. 409. E. Tom. I. unice a Maurinis editi Parisiis 1778.

(180) S. Greg. Nazianz. Orat. XXI. pag. 410. §. 35. edit. Maur. cit.

Catholica Fides plane constaret, et levis ac jejuna, de vocum sono altercatio diversae fidei speciem praeberet. Sustulit in Synodo Alexandrina Christianae plebis offensionem, et inanem logomachiam permagnus ille Athanasius, qui Ortodoxam utriusque partis fidem vel in misera disceptatione detegerat, et vocatis ad se contendentibus, fidemque rogans, hinc in tribus hypostasibus Trinitatem Sanctam, Deitatem unam, unumque Principium, illinc in una *hypostasi* Filium Patri Consubstantialem, et ex eadem essentia Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedentem indubitanter praedicari sensit, vere homo Dei magnusque animarum dispensator. In hac tanta doctrinae concordia (181) Latinis Personarum nomen, Graecis trium hypostasum aeque ratum habuit Athanasius.

(181) Quæ cum beatus ille vir (Athanasius) (*ait S. Greg. Nazianzenus loc. cit.*) magnusque animarum dispensator oculis auribusque usurparet, sibi tam absurdam et a ratione alienam Verbi sectionem dissimulandam ac negligendam non putavit . . . . . utraque parte leniter et benigne accita verborumque sententia diligenter et accurate perpensa, posteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit ut nominum usum concedens, rebus eos constringeret - pag 410. cit. edit. Legatur etiam Appendix S. Gregorii Nazianz. de Fide Orthodoxa contra Arianos pag. 894 cit. edit. Maur. et Cf. de voce hypostasis Lupus in diss. de vocibus substantia, essentia etc. ext. T. II. opp. edit. Ven. 1724.

§. VI.

Eadem inter Graecos altercatio.

Neque res inter Graecos tantummodo et Latinos vertebatur, sed in Graecis ipsis discordias genuerat, cum Neocaesariensis Ecclesia, et Paullinus Antiochenus, ejusque asseclae trium hypostaseon appellationem caverent: neque tempore Magnae Constantinopolitanae Synodi a lite cessatum fuerat. Quae post obitum Athanasii dissidia passim regerminaverant, Gregorius Nazianzenus compressit, ac cunctus postea Oriens in sanctissimo Athanasii decreto conquievit (182).

§. VII.

Hac Controversia Schisma Antiochaenum auctum.

Sed incredibile dictu est quantum in illo contentionum aestu discordia, quae inter Catholicos Antiochenos jam fervebat, succresceret. Anno 331. a Constantino Magno, quem Arianorum doli circumvenerant, Eusthatius Antiochenorum Pontifex in exilium, in quo mortem oppetiit, concedere cogebatur, venerandamque Sedem, a qua fuerat exturbatus, intrusi ab Arianis homines polluebant. Quamobrem ingentem Christianorum numerum

(182) Consulatur cit. S. Gregorius Nazianzenus.

Pastoribus vineam dominicam demolientibus (*Jer. c.* 12, 10.) infidelis magister metus dederat; caeteros bono Pastori Eustathio licet gregi, licet terris erepto Catholicae professionis constantia devinctos tenebat. Ea animorum distractione se res habuerunt usque dum per Arianos, queis in suspicionem non adhuc fuerat adductus, eligeretur Meletius. Hic in concionem primo ascendens, Verbique Divinitatem aperte professus, egregium Fidei suae specimen praebuit, malamque mercedem retulit, Sedis nempe usurpationem ab Euzojo Arii discipulo et pernecessario, factione connitente, perpetratam. Tentati Ariana audacia et fracti jamdiu patientes Catholici Eustathianorum communionem irrito licet labore, contendunt; et ab ea tempestate disjuncta Catholica plebs, Meletio pars adhaeret, pars etsi Eustathio, proprioque Pastore orbata Meletium aversatur(183).

§. VIII.

Antiochaeni motus propagati.

—

Qui antea inimico animo fuerant, multo gravius exarsere, unde defervescere debuissent. Cum enim anno 362. Lucifer Episcopus Calaritanus Antiochiam pervenisset, praefecissetque illi Ecclesiae Paullinum, quo novo Pastore omnes in unum brevi

(183) Vid. Theodoritus lib. I. Hist. Eccl. cap. 22. pag. 53. edit. Cantabr. T. III. script. Hist. Eccl.; Socrates lib. II. c. 44. pag. 160. T. II. script. H. E. edit. Cantab.

congregandos existimabat, Meletiani Paullinum, veluti Eustathianorum ducem recusarunt. Pessimi exempli res fuit, et aliarum extra Antiochena maenia contentionum imitatrix, a quibus tamen Schismatis nomen et notam abfuisse censemus, cum Episcoporum dissensus et simultates, epistolare tamen commercium numquam abruperint. At anno 398. exordium ducit pax Antiochaenae Ecclesiae (quo tempore Legati Joannis Chrysostomi ad Siricium Pontificem, reconciliandum occidentalibus Flavianum Antiochaenum curabant) constituta vero et perfecta, Innocentio Pontifice Maximo, quando post obitum Flaviani et successoris Porphyrii, Eustathianos caeterorum societatem declinantes, Alexander sibi demum adjunxit, Antiochaenamque Ecclesiam octoginta quinque annorum discordia collapsam magnopere erexit (184).

§. IX.

Doctrina de Jesu Christi Divinitate.

Id Christianae doctrinae ratio, id solers Fidelium institutio postulabat, ut ab enatis haeresibus clarius atque enucleatius Ecclesiae Fides a Patribus explicaretur; et qui vel silentium vel la-

(184) Vid. Theodoritus Hist. Eccl. lib. III. capp. 4. et 5. p. 125. lib. V. c. 23. pag. 224. lib. V. c. 35. pag. 235. ed. Cantabr. T. III. script. H. E. Socrates Hist. Eccl. Lib. III. c. 9. pag. 184. Lib. V. c. 5. pag. 266. ibid.

tebram obscuritatis Catholicis doctoribus exprobrabant, nimio veritatis lumine perstringerentur. Ne itaque firmissimus sermo in Christi Divinitate exprimenda desideraretur, Nicaeni Patres, iidemque veteris traditionis custodes, Christum praedicarunt „ Filium Dei Unigenitum, natum ex Patre ante „ omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumi„ ne, Deum verum de Deo vero: genitum non fa„ ctum, Consubstantialem Patri, per quem omnia „ facta sunt „ Et ne dubitatio suboriretur quid per vocem *homousios* (consubstantialis) sibi voluisset Nicaena illa congregatio, ita Alexandrinorum Pontifex Athanasius totius Ecclesiae fidem quam scienter significantissimeque indicabat " Ho„ mousion (*ομοούσιον*) est quod eamdem essentiae „ rationem recipit, ut homo ab homine nihil dif„ fert quatenus homo est, et Angelus ab Angelo „ quatenus Angelus est; ita Deus a Deo nihil dif„ fert quatenus Deus „ Caecutit profecto in meridiana luce, qui praeclaro refragans testimonio Filium Divina exsortem natura pertinaciter contenderet, quamvis nec ab uno illius aevi monumento J. Christi Divinitas, intollerandaque Arianorum impietas nobis patebit. Quid vero tam apertum tam perspicuum esse poterat, quam Fidei Professio Chalcedonensium Patrum Unionem Naturarum in Actione Synodali quinta declarantium? Hi enim cum duas in Christo naturas invicem post unionem commutatas, absorptas, commixtas et confusas, vel ex

iis per unionem compositis communem quamdam naturam conflatam diffitentur, certum omnino ictum Eutycheti infligunt, erroremque jam vulneratum anathematis poena praecidunt. Quod demum ad doctrinam gravius, ad fidelium utilitatem praestantius esse potuit, quam celebre Concilii VI. Decretum pro duplici in Christi voluntate et operatione contra Monothelitas, qui duas equidem in Christo naturas, unicam tamen voluntatem et operationem Dei virilem *theandricam* fatebantur (185).

§. X.

De Originali peccato et Gratia.

Multum caliginis offuderant Catholicis dogmatibus de Peccato Originali et de Gratia Pelagius et Caelestius, mortalesque plurimi simulationum involucris decepti, veritatem e conspectu amiserant. Sed diluxerant magis magisque omnia cum Patres haeresis jam serpentis malitiam perscrutantes, totam Pelagii Caelestiique doctrinam revelarunt. Qua in re caeteros, et seipsum dicendo scribendoque superavit permagnus ille Augustinus, qui editis contra Pelagium, et de Originali labe, de Gratia Christi, de Nuptiis, et de concupiscentia celeberrimis libris, manus cum hostibus conseruit, Ecclesiae aciem viginti annorum spatio instruxit, eique nobilissimam

(185) Legantur acta et decreta concilii Nicaeni I. et aliorum conciliorum de quibus nos in capite de conciliis, apud Labbeum, Lupum aliosque.

victoriam fecit. Porro quae et quanta divinum ingenii lumen illustrat, judicii solertia pertingit eloquium vel incitatum impetit, vel accuratum distinguit, vel verborum sententiarumque floribus conspersum exornat! adeo ut et veritas ipsa gloriari, et in veritatis gloria oratio quoque exsultare videatur. Hinc quem coaevi omnes tamquam Ducem ac signiferum suspiciebant, posteri quoque haud impari studio sunt prosequuti, quem vivum Rectores christiani populi consuluerant, numquam in clarissimis scriptis interiturum fidelibus proposuere, ut ejus vox, veluti vox Ecclesiae haberetur, et ad ejus doctrinam veluti ad Lydium lapidem omnis controversia de Gratia esset exigenda. Ita autem Divinam Gratiam intelligebat Augustinus, ut ab ea tamquam a fonte opera Deo accepta derivarent, eorumque et initium et perfectio maximo huic fidei nostrae fundamento absque humanae libertatis jactura, essent reputanda. Haec atque alia Chrysostomus, Basilius, Ambrosius pro rei momento, ac fidelium institutione egregie pertractarunt, et prae omnibus Augustini scriptis luculentius pertractata invenies in libris de Gratia, et contra Julianum; eritque tibi compertum simul quibus difficultatibus in libertate humana cum vi superni illius principii concilianda sanctus Doctor utrique favens prematur (186).

(186) Præter Augustinum aliosque Patres, videantur opera Marii Mercatoris edita a Garnerio Parisiis 1673, quibus additae sunt ab cl. editore variae in Pelegianam haeresim dissertationes.

§. XI.

Reliqua Catholicae doctrinae capita.

Neque claritate indigere voluerunt Patres doctrinam de Sacramentis Novae legis, qua fideles tunc temporis imbuebantur (ut antiquissima monumenta satis ostendunt) et hodie quoque imbuuntur (187). Aeternalium suppliciorum metu illius aetatis homines fuisse detentos, non modo ex symbolis, et Ecclesiasticis definitionibus, sed perspicuo admodum SS. Patrum eloquio edocemur; unde firmissime Concilium Oecumenicum V. damnare potuit Origenem, qui non perpetuo miserrimos, sed in integrum restituendos esse Daemones atque impios excogitaverat. Ad haec, novem capitulis Origeniani errores ab eodem Concilio impetiti, et a Patribus Ecclesiasti-

(187) Legantur Aug. ep. 180. ad Honorat. et lib. 15. de Trinit. c. 26. lib. 9. confess. c. 12. et de bono conjugali c. 18. Joann. Chrysostomus hom. III. in I. ep. ad Corinth. S. Ambrosius lib. II. de Abrah. c. 7. et 11. S. Hieronymus contra Luciferian. Concilia, Illiberitan. (an.315.), Laodicenum (an. 370), Arelatense (an. 455.) celebrata; Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianos. S. Gregorius Nyssenus orat. catech. c. 37. Cyrillus Hierosolym. catechesi mystag. IV. n. 9. Ambrosius de mysteriis et lib. 1. de poenitentia c. 2. nec non lib. de dignitate sacerdotis. c. 5. Chrysostomus homil. 83. in Matth. lib. III. de sacerdotio c. 5. et 6. et homil. I. Joannes Damascenus lib. IV. de fide orthodoxa c. 14. Lactantius lib. IV. divinar. Instit. c. postremo. Innocentius I. in ep. IX. ad Probum. Epiphanius haeresi 69. ex quibus omnibus doctrina de septem Novae legis sacramentis clarissime apparet.

cae doctrinae mirum in modum consentientibus refutati, et in communem vituperationem adducti sunt (188).

§. XII.

Controversiae ex Origeniana damnatione.

Id autem in Origeniana reprobatione contigisse dolemus, quod miramur interdum, ut profligatus ab Ecclesia error ad multorum animos facilius accesserit, et qui injudicatum neglexerant, gravissimo omnium judicio perfunctum amplecterentur. Origenis itaque partes Monachi quidem Palaestini imprimis, necnon Theodorus Caesariensis, Domitianus Ancyranus, aliique Episcopi susceperunt; graves hoc nomine in Palaestino S. Sabae monasterio contentiones exortae, quas ut sedaret Justinianus Imperator, auctoritate usus Pelagii R. E. Legati, et Dacii Antistitis Mediolanensis, damnatorium in Origenem edictum, quod altera percupiebat Monachorum pars, anno circiter 540. promulgavit. At exarsit nimis qui magnum quoque gradum apud Imperatorem dignitatis et gratiae tenebat Theodorus Caesariensis, ignemque subjecit qui percelebrem de tribus Capitulis controversiam superius a nobis de Conciliis (189) sermonem ha-

(188) Videantur Hieronymus, Augustinus, et Chrysostomus. Origenem ab omni erroris labe defendere conatur Halloixius in opere inscripto *Origenes defensus*. Leodii 1648.

(189) §. 16. de Synodo CP. II. ejusque causa pag. 194.

bentibus memoratam iterum exsuscitaret, et Origenianam litem novo aestu absorberet. Hoc etiam pacto, ultionem in Pelagium R. E. Legatum, et damnationis incentorem est consecutus.

§. XIII.

Origeniana Dissidia.

Et quamvis proscripti Origenis errores non expositam et apertam, sed reconditam et quasi opertam trium Capitulorum quaestionem haberent, turbulentissimum tamen bellum et vel rei magnitudine, vel concertantium gloria, plurimi faciendum instaurarunt, versatique sunt in acie Hieronymus (190), Epiphanius, Ægyptiique Monachi aliique. Eo autem contentionis aestus animos abrepit, ut Ægyptii Monachi metaphoricas scripturarum interpretationes Origeni exprobrantes in Antropomorphitarum errorem ipsi defluxerint. Neque lites in claustris Monasteriorum Ægypti, et S. Sabae continebantur, sed in caeteras Aegypti, Syriaeque regiones erupere, alias iterum lites progignendo, an scilicet controversae sententiae Origeni, an irrepenti hominum fraudi essent tribuendae, an haeretica labe polluerentur. Disceptatio tam acerba, tam diuturna apertissimum schisma conflavisset, nisi Sy-

(190) Videatur Zaccaria in supplemento ad Hist. Eccl. Natalis Alex. et praesertim in diction. v. *Origenistae* pag. 134. Venetiis 1793.

nodus V. Oecumenica Origenis damnationem alte pronunciasset et Decretum Justiniani Augusti roborans, eam deniquc vocem tulisset, quae in omnem adversariorum multitudinem silentium fecit.

§. XIV.

De uno in Trinitate passo.

—

Cum Hormisdae Legatos Acaciani schismatis extinctio Constantinopoli detineret anno 519., quidam Monachi Scythae verbo scriptoque ab iis petebant ut theses aliquas revincendis illius aevi haeresibus ac Nestorianae perquam idoneas, de sua auctoritate firmarent. Hae autem inter propositiones erant praecipuae = Christum unum esse de Trinitate; Unum de trinitate fuisse passum = quibus innoxie forsan prolatis nonnulli in Eutychianae causae subsidium abutebantur. Legati sopiendis, qua fieri posset, litibus intenti, a confirmatione abstinendum existimarunt, caussati nil a se posse dici vel addi, quod nec quatuor Concilia nec Leonis Epistola comprehenderent. Ira succensi Monachi, et a Legatorum consiliis ad Hormisdam Pontificem Maximum abscedentes, rei definitionem ab Apostolica auctoritate precantur. Porro supersedendum putat Hormisdas usque ad reditum Legatorum, quo totius rei certior factus sit; quamobrem Monachorum legati longam fortasse nimio mensium quatuordecim moram pertaesi, clam Urbi

terga vertunt; neque ideo Pontifex sollicitationibus Justiniani Caes., qui litigia illa sequebatur, adduci potest, ut a Legatorum suorum dictis recedat: satis a Conciliis, satis a S. Papa Leone, et rectae fidei, et rectis fidei formulis consultum, iterato respondet. Verumtamen ex longa acerrimaque concertatione illud tandem praeclare colligitur, rem totam in verborum sonitu verti, et utramque partem a Nestoriana haeresi quae dividit, ab Eutychiana quae Christum confundit, aeque abhorrere. Quare non personarum, sed veritatis unius acceptor Joannes II. qui Hormisdae successerat, controversiae finem, habita anno 536. Synodo, imponit, et Justiniano qui nobilissimos Legatos eundem finem properaturos sollemniter miserat, oblatas denuo Monachorum Scytharum, aliasque nonnullas theses ex Synodi sententia confirmat, testimoniisque munit Augustini Patris « cujus doctrinam, inquit, secundum Praedecessorum meorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia » Quam diu vexatam, et in meridiana luce positam propositionem Vigilius PP. et Synodus V., et proximo saeculo Synodus Lateranensis sub Martino I. aeque admittendam decernunt. Ita Scythis Monachis causa adjudicata fuit, a qua Acaemetae Monachi definitionis moram apud Pontificem interponentes probrose exciderunt, et tamquam Nestoriano veneno imbuti, (quod de omnibus etiam in posterum earum propositionum impugnatoribus contigit) comuni Ecclesiae judicio ha-

biti sunt. Imo et Justinianus in codice Legum suarum, et in Edicto contra tria Capitula intempestivam ejusmodi aversationem cohibuit (191).

§. XV.

De Spiritus Sancti Divinitate et Processione.

Indubia fuit primaevis fidelibus Spiritus Sancti Divinitas et Processio a Patre et a Filio, quam Vetus Testamentum dixit in tenebris, Novum vero praedicavit in lumine; occurritque protinus ante oculos medio saeculo IV. Hilarius Pictaviensis qui

(191) Ineptit sane Joannes Forbesius lib. III. Instructionum historico Theologicarum cap. XXI. n. 7. et seqq. pag. 129. T. II. opp. edit. Amstelod. 1702. qui adversantes sibimetipsis Pontifices hac in causa persuadere conatur. Porro qui propositiones illas, catholico omnino sensu, quem Monachi intenderant, expressit Christum praedicari unum de Trinitate permisit, propterea quia vocem *unus* non *substantialiter*, sed *notionaliter* (ut Theologorum verbis utar) accipi senserat. Unus autem de Trinitate passus in humanae naturae infirmitate minime vero in inviolabili divinae naturae majestate nuncupabatur. Hoc sensu explicatae Monachorum theses nil inauditum, nil durum piis fidelium auribus personantes a Joanne aliisque Pontificibus sancitae sunt. Qui vero in ejusmodi sanctione diutius haesit immo a judicio sese excusavit non is profecto inimico silentio usus est, sed ad maturam rei disquisitionem prudenti, et ad cavillationes declinandas fortasse etiam necessario. Non itaque Joannem Hormisdae consilium improbasse, Hormisdam potius in ipsissimam Joannis sententiam iturum fuisse credimus, si vitam usque ad plenam veritatis declarationem producere potuisset. De tota hac controversia legi meretur Norisius in historica dissertatione *de uno ex Trinitate carne passo* ext. T. III. opp. edit. Veron. 1729. col. 776. et *in apologia Monachorum Scythiae* ibid. col. 880.

ea exponens, quae alibi locutus fuerat, nedum Filium Largitorem esse Spiritus, sed Auctorem; et Spiritum; « *Ex Patre et Filio Auctoribus* » tamquam ab uno principio procedere edocuit; accipere etiam (ut habent Scripturae) et mitti a Filio cum ex eo sicut ex Patre procedat: Haec per Orientem totum sanctus ille Pater clamabat (192) adversus Arianam impietatem, quae Spiritum Sanctum Filii creaturam blasphemabat; altius etiam clamavit in aliud haereticorum genus ab Arianis tamquam a fonte et seminario deductum, Macedonianos nempe qui Spiritus Divinitati bellum intulere. Hosce inter, Marcellus Ancyranus Filium, seu Verbum extensionem substantiae Patris, Spiritum vero extensionem esse ulterioris extensionis, fabulari non erubuit. Sed sua non defuerunt Catholicae veritati testimonia, quam ex divino Scripturarum eloquio Hilarius non modo, sed Athanasius, Cyprianus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus aliique diligenter expressere. Et licet consueta Graecis loquendi ratione Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedere diceretur, quod Macedonianum quoddam potiusquam Catholicum prodere videbatur; Spiritum vero eundem a Patre Filioque procedentem Latinorum universitas (ut Romanorum Pontificum, et Hormisdae praesertim verba testantur) (193) scite magis et re-

(192) Vid. S. Hilarius Pictavorum Episcopus lib. 8. de Trinitate col. 945. edit. Maurinae Parisiens. 1693.

(193) In ep. ad Justinum Seniorem Aug.

cte profiteretur; dissona fortasse ora consonas mentes minime perturbarunt, sermonisque vel usui, vel incuriae ubi nihil Fidei adimeretur, indultum est (194).

§. XVI.

Hujusce Dogmatis Confirmatio.

Nulla itaque Graecorum mussitatio, nullum obloquium hisce saeculis contra Latinos inaudiebatur; eaque excitarunt Monachi Constantinopolitani e Monotheletarum factione, occasionem captantes Synodicis quibusdam Martini Papae literis, in quibus Spiritus Sancti a Patre Filioque processio indicata esset, ansaque daretur proinde Romanam Ecclesiam, quae contrariam damnabat sententiam, criminandi. At rumores magis acres fuere quam diuturni, dissipandosque curavit S. Maximus Abbas in sua Epistola quae rei vestigia nobis reliquit. Grassantibus deinde Iconomachis haereticis sub Constantino Copronymo, Processio Spiritus Sancti a Patre et a Filio, qua pertinacius in dubitationem adduci, qua impudentius caepit denegari. At repulit insanos clamores maxima illa Ecclesiae vox, quae particulam *Filioque*, Constantinopolitano Symbolo additam (ita decernente Episcoporum conventu

(194) Vid. dissertatio I. Damascenica *de processione Spiritus Sancti* ab Michaele le Quien praeposita operibus S. Joannis Damasceni pag. j. T. I. Parisiis 1712.

coram Francorum Rege Pipino) inter Missarum solemnia insonuit, et nostris etiam temporibus auribus omnium excipitur. Praeierat equidem Gallis Toletana Synodus III. sub Recaredo rege (195), quae Nicaenum moxque Constantinopolitanum Symbolum hisce verbis praeditum « Qui a Patre Filioque procedit » recitaverat: Sed et recitarunt postea cum eadem additione, Concilium Toletanum VIII. (196) Emeritanum (197) Toletanum XII. et XIII., Bracarense IV. et rursus XV. Toletanum. Sortita est quoque Latinorum Sententia propugnatorem Carolum Magnum (198). Hic legens Acta Synodi VII. et in iis professionem Tharasii, qui Spiritum ex Patre per Filium procedere asserebat, hosce aliosque articulos censoria animadversione dignos existimavit, quippe qui obtectam saltem et ambiguam processionis ejusmodi notionem exhiberent. Consultius tamen rescripsisse (199) credimus Hadrianum I., qui rem ad vivum minime resecans, inculpabilem Tharasii Synodique Fidem Caesari ostendit (200). Haec pro instituto nostro satis dicta arbitramur, ut mira innotescat Ecclesiae sollicitudo non modo in profanis vocum novitatibus devitandis, sed in iis be-

(195) Habita est anno 589.
(196) Anno 613.
(197) Anno 666.
(198) Pipini filium.
(199) Cf. T. VIII. Concil. Gen. per Labbeum.
(200) Cf. cit. diss. I. Damascenica.

nigne excipiendis, a quibus major doctrinae claritas mentibus Fidelium affulgeat: mira profecto, atque unius Apostolici magisterii propria sermonum Domini declaratio quae illuminat, quae parvulis intellectum dat (201).

(201) Ps. CXVIII. Reliqua doctrinae capita videsis apud Patres, et Theologos.

CAPUT V.

de Ritibus Ecclesiae, Christianorum moribus et de Ecclesiastica Disciplina.

§. I.

Templa Christiana.

Pacata a Constantino Aug. Ecclesia, et quieta ab hostibus Republica, augebatur in dies fidelium multitudo; aucta vero, Sacrarum aedium egestatem et angustias, quibus pressa vel potius obruta fuerat expostulare videbatur. Huc igitur animum adjecit Imperator, ut pax a semetipso christianae plebi impertita non incommoda, non ignobilis, sed per grata et honestissima haberetur; ut addita ubique religionis monumenta, clausa inanium Deorum Fana, aut veri Numinis cultui adjudicata, Aedes denique vel a solo exstructae, vel restitutae, dum aperta, benificentissime voluntatis indicia praeberent, fidelium votis, pietati, atque ornamento cumulate satisfacerent. Plura sane per totum Orientem Templa condidisse Antiochiae, Nicomediae, Heliopoli, in Faenicia, ad Mambre, atque alibi ex scriptoribus synchronis ediscimus; testemque habemus Eusebium, non Apostolorum modo *Martyrium* (202)

Constantinopoli aedificasse, sed alterius etiam ingentis Ecclesiae fundamenta jecisse, quam novo optimoque auspicio sanctae Sophiae, Jesu videlicet Servatori, qui Sapientia est Dei Patris, postea dedicavit. Verum perpetuae pietatis majestatisque monumenta non aliunde petimus, qui Romae huic inclytae, cui omnia cedent miracula terrae versamur. Nihil enim non cedit Basilicis regio sumptu, ingenti opere diviti, supra quam credibile est, cultu, passim spectandis quae aut ab inchoato exstructae, aut veteri superstitione rite expiatae incomparabilem domus Dei decorem induentes Religionem terrarum dominam, Urbem gentium omnium Principem vel invitis suadent et Constantinianum nomen, quo hodie etiam insigniuntur, immortalitati commendant. Quae Fana Gentilia clausa aut fatiscentia reliquit Constantinus, Theodosius posterique Augusti pernobilia exempla intuentes ad veterem splendorem revocarunt; binaeque ab Honorio additae leges anno 408. ut nulla ubilibet Templa amplius diruerentur cum nova operum molitione detersoque squallore, Fidelium religioni, ac pietati patere deberent.

(202) Aedes nempe in quibus martyrum corpora inhumata fuerant. Ita sacras aedes *martyrum memorias* latini, Μαρτύρια graeci appellabant, quam postemam vocem latini etiam in posterum usurparunt; quo nomine veniebant quoque sacra oratoria (supra martyrum sepulcra ruri extructa) quae deinceps in Paraecias evaserunt. Non desunt inter veteres qui aedem sacram dicerent Κυριακον, unde ap. latinos *Dominicum*. Cf. Conc. Laodic. c. 28. Eusebius Hist. Eccl. lib. X. edit. Cantabr. Augustinus serm. 15. de verbis Apost. Salvianus lib. 7. de Providentia. Ναοι, *templa* τα Βασιλικα aedium sacrarum nomina fuere. Hisce aedibus addicti, κλήρικοι Μαρτυρίων apud Orientales, Martyrarii apud Occidentales vocabantur.

§. II.

Templorum forma.

Laxatis exornatisque Ecclesis formatio esse solebat oblonga, et ad navis similitudinem (203), eaque apud veteres *dromica* (204) audiebat. Non ita tamen exstructio ejusmodi erat in deliciis, ut non ab ea recederetur, rotundamque edificari jussit Constantinus Ecclesiam Hierosolymis, aliam quoque ad octaëdri formam (205), et diversimode alibi Templa haberi ceperunt (206). Ad situm quod attinet major aditus occidentem, Ara vero Orien-

(203) Vidd. Constitutiones Apost. lib. 2. c. 61. et Cf. Ciampinius - Vetera monumenta - T. I. Romae 1690. ubi formae Ecclesiarum S. Pauli extra maenia, et S. Clementis tabulis prostant.

(204) Quae graecis Δρομος cursus et pervagatio.

(205) Antiochiae. Vid. Eusebius in vita Constantini lib. III. cap. 33. et seqq. pag. 597. et seqq. T. I. Scriptor. Hist. Eccl. edit. Cantabrigiae 1720. et cap. 50.

(206) Ad instar Crucis ut Constantiniana Basilica XII. Apostolorum Constantinopoli, et ea quam S. Namatius apud *Arvernos* construi jussit, (est Ecclesia Cathedralis) cujus mentionem facit S. Gregorius Turonensis lib. 2. c. 16. Hist. Francor. pag. 69. edit. Maurinae, Luteciae Parisior. 1699, hisce verbis « Hic (S. Namatius) Ecclesiam quae nunc constat, et senior infra muros civitatis habetur, suo studio fabricavit habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra capsum usque cameram, pedes quinquaginta: in ante absidem rotundam habens, ab utroque latere ascellas eleganti constructas opere, totumque aedificium in modum crucis habetur expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, ostia octo . . . . Parietes ad altarium, opere sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. »

tem spectabat ; sed hoc rursus non ubicumque terrarum, cum de Ara antiochaeni Templi ad Occidentem Solem conversa Socrates, et uterque Paullinus Tyrius (207), ac Nolanus (208), de suis aeque testentur ; neque exempla desideranda sint Ecclesiarum a boreali in meridianam plagam vergentium. Unde hoc inferre juvat, quod licet Auctor Constitutionum Apostolicarum Templa in orientem solem jusserit exstruenda, communem tamen consuetudinem inducere nequiverit, quam ingens necessitas, aut locorum opportunitas interdum non praetermiserint.

§. III.

Templorum Partes.

—

Quatuor praesertim partes Ecclesiis esse solebant. Harum prima exterior ambitus, qui *Narthex* audiebat, Atria externa complectens, et in quo amplum conspicuumque vestibulum, (magnum vestibulum, ac introitus princeps ab Eusebio, aliisque Graecis Scriptoribus est appellatum) primo obversabatur. Inde ad Ecclesiam progredientibus spatiosa erat area, quam Graeci aulam, Latini atrium, et *impluvium* dixere, quam porticus circumsepiebant, attollebantque Columnae. Hic primarii ex paeniten-

(207) Vid. Eusebius Hist. Eccl. lib. X. c. 3. et 4. praesertim pag. 472. edit. cit. Cantabrig. ubi prostat *ihcnographia Templorum veterum.*

(208) Ep. 12.

tibus consistebant et in Atrio vel in porticibus ingredientes Ecclesiam fideles, a qua ipsi prohibebantur, veniam misericordem, precumque subsidia efflagitabant. In media area fons qui apud veteres et Cantharus, et Phiala, Christicolis Templum ingressuris abluendis, cui tandem loco VII. circiter Ecclesiae saeculo defuncta Christianorum corpora mandari caeperunt.

§. IV.

Partes internae.

Primum erat in Ecclesia (pronaon) sive, ut Graecis placet, narthex, quam latine ferulam dixeris, locumque peropportunum supplicantibus, exorantibus nocturnasque vigilias agentibus praebebat; sed et suppeditabat Catechumenis, secundique gradus paenitentibus, qui Audientes nuncupantur; neque inde prohibiti Judaei, Gentiles, haeretici et Schismatici utpote qui Scripturis legendis, recitandisque sermonibus afforent. Nobilem alteram Ecclesiae partem constituebat quod dicebatur ναος sive, ut dici assolet, navis ab interiori Narthece ligneis repagulis distincta, in quam aditus a Narthece dabatur per portas, ut vocabantur, speciosas ac regias, quas appellationes diversimmode intelligunt eruditi. Erat id loci tertio paenitentiam ordini, substratis nempe, qui dimittebantur statim ac finis sacrae concioni daretur, et ad Episcoporum genua provoluti manum

impositionem benedictumque accepissent. Neque suus deerat ibidem locus postremo Paenitentium ordini, Consistentibus, quaeis oblativa munera haudquaquam impertire, Christiano tamen sacrificio, postquam caeterorum paenitentium et cathecumenorum vulgus cessissent, interesse licebat. Erant et Ambones ad quos gradibus conscendebatur, ibique Epistolae atque Evangelia legi, conciones interdum populo ab Episcopis haberi solebant: quos circumdabant marmorea vel lignea concinentium subsellia.

§. V.

Reliquae in Ecclesia partes.

In intima Ecclesià Sanctuarium Bema etiam appellatum et Sanctum-Sanctorum distinguebant lignea, vel marmorea septa ingenti quandoque cultu ornatuque nitentia, quae promiscuae plebi accessum occluderent. Suprema Bematis pars Absis vocabatur, et concula, utpote quae arcuatam et sphericam formam ad instar conchae exhiberet, et Episcopalem thronum, cum Presbyterorum subselliis in semicirculi speciem complecteretur. In medio Bematis Ara sive Comunionis mensa columnis circumclusa, circumactis undique Consecrationis tempore tentoriolis, protegebatur. Muliebre a virili sexu partiebatur vel per protyra quae Diaconissae custodiebant, vel per Solaria sive superiores porticus, qui in cellulas interdum orantibus et legentibus

peraccommodas dispertiti sunt. In plerisque Ecclesiis alia Liturgiae usui dabantur loca; oblationarium nempe, quod Graeci *prothesin* vocant, paratorium, scerophylacium, quae vasaria sacra custodiebant, et Diaconicum sive Secretarium, in quo vestiaria et pretiosa suppellex a Presbytero vestispico vel Diacono cimeliarcha adservabantur. Viciniam adjectaque Ecclesiis Decanium Mitatorium, Gazophylacium, Pastophoria, Scholas, Bibliothecas, ab Ecclesiasticis Scriptoribus accurate descripta ante oculos tibi propones (209).

§. VI.

Baptisteria.

—

Baptisteriorum Ædes quae graeco *photisteria* veteriq. nomine *loca illuminationis* dicebantur, ab Ecclesiis olim disjunctas fuisse credimus Eusebio, qui idem de Tyriensi Templo affirmat, tum, quoad alias, Paullino Nolano, Cyrillo Hierosolymitano, Sidonio Apollinari, et Augustino; inductaque saeculo sexto in Ecclesias baptisteria non est cur inficiari velimus. Quod extra controversiam manet, duae erant

(209) Vidd. Alexius Aurelius Pelliccia in opere inscripto - de Christianae Ecclesiae primae, mediae, et novissimae aetatis politia - T. I. Lib. II. sect. 1. p. 175. et seqq. Bassani 1782. Franciscus Antonius Zaccaria in opere cui titulus - Onomasticon Rituale Selectum - Faventiae 1787. Antonius Nibby in diss. italica *della forma*, *e delle parti degli Antichi templi Cristiani* Roma 1825. ad calcem posuit cl. auctor Ichnographiam veteris templi S. Clementis Urbis.

eis partes: altera porticum seu vestibulum, in quo abjicientes tenebrarum opera Cathecumeni et Christianam veritatem profitentes Filii lucis evadebant; altera interior Baptismi ritibus adimplendis. Tribus gradibus descensus erat, totidemque deinde ascensus ad piscinam, ad aquarium scilicet unde ablutis ac postea Sacro Chrismate inunctis candidaque veste amictis incensae faces, osculum pacis, et in occidentali Ecclesia mel cum lacte degustandum dabantur (210).

§. VII.

Missarum Caeremoniae auctae.

Ex Sacris Eucharistici Sacrificii caeremoniis nihil ablatum, quod superiora saecula haberent; addita potius quae tanti mysterii majestatem, ac fidelium reverentiam conciliarent. Hinc splendida illa ac publica Missarum pompa quas Episcopi peragebant, et graphice Nazianzenus depingit; neque privatas quoque Missas defuisse , heterodoxis possumus assentiri, cum *solitarias* aliquamdiu extitisse noverimus quae a Romanis Pontificibus et a Conciliis postea sublatae sunt. Praesanctificatorum Missam, quam nonnulli in hujusu periodi exordio sta-

(210) De iis quae ad Baptisteria, et baptismum referuntur vid. citatus Pelliccia lib. I. sect. I. p. 27. et seq. nec non cit. Zaccaria voce *Baptisterium* in opere *Onomasticon* et pag. 157. T. I. alterius operis inscripti - *Bibliotheca Ritualis* - Romae 1776.

tuunt, Quadragesimali jejunio a Graecis adhibitam esse constat, praeter tamen dies Sabbatum, Dominicum, et Annunciationis festum, sed ab occidentalibus uno dumtaxat Parasceves die (211). Post Sacrum solemne Klerus populusque prope Templum conveniebant ibique ad mutuam fraternamque animorum conjunctionem, in convivio, quod a veteribus Agape dictum est, versabantur. Sed epulis ejusmodi quae a pristino instituto recesserant nullum amplius locum esse in Ecclesiis et Basilicis Antistites et Concilia vel a quarto saeculo decreverunt, indicta quandoque praecepti contemptoribus excommunicationis poena (212).

§. VIII.

Sacrorum Conventuum ratio.

—

Stata singulis conventibus hora ingrediebantur templum fideles, concinente interim Choro Antiphonam cum Psalmo, qui mos introitum Missae induxisse creditur. Distribuebant Diaconi populum in suas classes, quem, Episcopus cum salutavisset, omnium nomine Orationem inclamabat, ut modo etiam audit, Collectam, quae comunes postula-

(211) Missae antiquos ritus, aliaque scitu dignissima retulit doctissimus Zaccaria in op. sup. laud. voce *Missa* pag. 17. T. II. Cf. Joseph Vicecomes Vol. 3. opp. Mediolani 1620.

(212) Concil. Laodic. can. 28. Carthag. III. cap. 30. Antissiod. can. 9. Cf. Ludovicus Ant. Muratori in diss. *de Agapis sublatis* ext. T. I. *Disciplinae populi Dei* Claudii Fleury pag. 213. Venet. 1782.

tiones ac vota recolligit. Ubi in throno suo assederat Episcopus, Lector ad Ambonem gradiebatur, ibique nonnihil ex Veteri Novoque Testamento vernaculo idiomate proferebat, quod, si Advenae interessent, interpretum ope declarabatur. Praesul quam apertissime Evangelium explanabat dum paterent Templi valvae etiam infidelibus, qui post habitum sermonem a Diaconis una cum Catechumenorum, Energumenorum, et poenitentium vulgo dimittebantur: tum a fidelibus et Consistentibus pro Ecclesiae omniumque ordinum incremento preces apud Deum persolutae, sollemnis oratio ab Episcopo recitata, populus resalutatus et pacalia inter omnes oscula juncta. Dum accederet ad Aram Pontifex cum Levitis, mappa et caetera omnia quae Sacrificio usui forent, parabantur; imponebant Diaconi Altari fidelium donaria, eaque Episcopus, peracta panis ac vini oblatione, tum Klerum, tum populum odoribus suffiebat: Offertorium excipiebant Praefatio, et Actio, haec excipiebat Consecratio, qua demum peracta, Antistes seipsum primo, Presbyteros deinde, Levitas, Klericos, Ascetas sive Monachos postmodum, Diaconissas, Virgines Sacras, plebemque fidelem adjutoribus interdum operis, prae nimia multitudine, Presbyteris et Diaconis, de ipso Sacrificio pavebat. Haec apud omnes aeque recepta alicubi tamen, quoad ritus nonullus, ex Graecae latinaeque Ecclesiae consuetudine variata nemo jure mirabitur (213).

(213) Cff. citt. Pelliccia, et Zaccaria.

§. IX.

Indumenta Sacra ex Liturgiae praescripto.

Dissensus est inter eruditos, utrum vestes, quibus in Sacrorum ministerium primis Ecclesiae saeculis Klerus utebatur, diversam a profanis formam praeseferrent, cum nomina utrisque convenire viderentur. Talaris tunica quae ad talos deflueret, Casula, Paenula, Alba, quae lanea erat vel linea zona quadam praecincta, Orarium seu pannus per humeros propendens, tum stola, maphorium seu toga decurtata, Colobium vel Dalmatica in Klericorum haud secus ac in Laicorum usum extitisse dicuntur. Formam deinde, quae Divino Cultui magis aptaretur, in Ecclesia invaluit adeo ut Sacra extra Templum indumenta tertio Saeculo Stephanus hujus nominis tertius vetuerit. Nulla erat in Ecclesiae exordiis Clericalium vestium a profanis discrepantia, quod innumera avertebat, persecutione saeviente, pericula; placetque nobis peropportunum illud Caelestini II. monitum, Clericos non vestitu, sed doctrina et moribus a populo secerni oportere. At saeculo sexto barbaris undique ingruentibus, infusaque morum peregrinitate, Laicorum vestes contractae venustaeque esse caeperunt, Clericales veterem majestatem non dimiserunt et, si qui profane dimisissent, gravissima Synodorum auctoritate reprimebantur. Atque inde talarem Sa-

cricolis tunicam, cujuslibet coloris esset, credimus adjudicatam; atratam enim saeculo tantum VIII. invectam e Canone quodam Concilii Forojuliensi An. 791. suspicamur (214).

§. X.

Campanae et Organa.

Haud satis constat quonam tempore Sacra turrium aera reboare caeperint, quae in persecutionum conflictatione in usu minime versari adnotum est; etnicis enim hoc pacto de occultis fidelium caetibus admonitis, caedis magisquam pietatis suscitabula extitissent. Statim ac optata revenit Ecclesiae pax, lignorum aut tubarum strepitu (quod vetus Ægyptiis Monachis mos inerat) ad Divini cultus officia Christicolas coactos fuisse Ecclesiastici Scriptores passim nos edocent. Frequentiorem apud Latinos *Campanarum* usum exordiis saeculi VII. Romanoque Pontifici Sabiniano nonnulli, si Panvinio credimus, referunt; earum quoque usum et *Nolae* appellationem vulgari Campanae nomini respondentem Paulino Nolae Episcopo, qui tintinnabula ejusmodi primus usurpaverit, recentiores tribuere malunt. Ad verum magis propendere videntur qui Campanarum Consecrationem a Saec. VIII., sollemnisque, ut nunc viget, ritus, Joannem XIII. institu-

(214) Cff. citt. Scriptores.

torem repetunt praesertim ex Patriarchio Lateranensi ex quo aes recens ductum baptizasse suoque nomine insignivisse traditur. Sed esto obscura sint ejusce ritus initia; perspicuum tamen est quod Nolarum benedictionem a Cathecumenorum baptismate distinguit, et Protestantes utrumque confundentes revincere debet. Organum putant nonnulli cum Card. Bona, Saec. VIII. in Sacra Sollemnia, Vitaliano Pontifice, inductum, quod vero Saec. VI. ut Venantius Fortunatus testatur, maximam Parisiensium Ecclesiam ornabat. Id muneris Constantinum Graecorum Imperatorem Pipino Galliarum regi obtulisse, Annalibus Fulgensibus indicatur, et Graeci fortasse Organa in Ecclesiis suis priusquam Latini adamarunt, licet postea dimiserint, hi autem dulcissimam in Sacris melodem adhuc retineant (215).

§. XI.

Caelibatus Clericorum.

Nostra minime interest, nullam Christum, nullam Apostolos in Clericalem Caelibatum jussisse legem, cum admirabilis haec abstinentia, spectaculum et Angelis et hominibus, vel a primis Ecclesiae temporibus plures ornavit, pluribus honorem laudesque pepererit. Paulus bigamos sacra or-

(215) Cff. citt. Scriptores et Martinus Gerbertus - de Cantu et Musica sacra - 1774.

dinatione prohibet, et Hieronymus contra Jovinianum id pervetustum esse ait in Catholicae universitatis consuedine, ut qui sacris initiari debebant vel virginitatis integritate, vel spectabili pudicitia praefulgerent. Habemus IV. Saeculo Conciliorum Illiberitani, Ancyrani, et Neocaesariensis decreta adversus Majorum Clericorum Conjugia, omniumque instar tertium Nicaenae Synodi Canonem, qui mulieres quaslibet (ni matres essent, vel amitae, vel sorores) e Clericorum contubernio removet; neque adquiescimus Socrati asserenti, Paphnutium Ægyptium Episcopum (216) Clericorum partes in Synodo egisse ne uxores quas duxerant, dimittere cogerentur. Sub finem Saeculi Quarti Caelibatus Apostolicis commendatus exemplis, totaque in Ecclesia jamdiu receptus lege sancitus videtur a Siricio in Ep. ad Himerium Tarraconensem, confirmatus in posterum ab Innoc. I. in Ep. ad Exuperium Tolosanum, a Leone ad Rusticum Narbonensem, et a Greg.° M. Epist. 31. ad Augustinum, aliisque paeculiarium Synodorum quae in Galliis, in Hispania, et Africa habebantur praescriptis communitus (217). At licet hae disciplinae vigerent, immunitate donati sunt Graeci Presbyteri et Diaconi a Trullana Synodo (Cann. XII. XIII.) modo Sacris operaturi cum uxore non coinquinarentur: ad

(216) Vid. Zaccaria in opere italico - *Storia polemica del celibato sacro* - Roma 1774. p. 90.

(217) Vid. cit. Zaccaria in op. nuper laud.

Episcopale munus evecti uxoribus, vel earum concubitu carere debebant (218).

§. XII.

Christianorum mores.

Acerrimis hostium telis proposita diuturnis conflictata molestiis, et tamquam aurum per ignem probata, laeto veluti pabulo alebatur, et clarius enitescebat Christianorum virtus, cujus spectaculum non insigne tantummodo pietatis studium, non fraterna animorum conjunctio, non mira prorsus abstinentia sed multo magis cicatrices adverso corpore praebebant: haec Christianae plebis imago, haec nobilitas haereditate relicta, et multis tamen laboribus periculisque in dies aucta. Sed nil majori miraculo fuit, quam invicta Clericorum constantia, illudque praeclarum Fidei testimonium quod, vulneribus nondum obductis, veneranda Sacricolarum corpora praeseferebant. Plures ex Nicaenis Patribus ejusmodi testimonio inclaruere, et Paphnutius Antonii assecla, oculo crureque captus, Paulus Neo-Caesariensis semiustis manibus, aliique varie trunci et debiles Catholicam veritatem, magisquam vi sermonis eloquuti sunt, strenue supra quam cuique credibile est, vel silentes propugnaverunt, et cum stigmata celare studerent, novo modestiae acumine,

(218) Vid. cit. Zaccar. p. 152.

virtutis fastigium, quo jam provecti fuerant, superarunt. Hisce armis pietatis ac mansuetudinis, quae nemo inter mortales inepta non judicasset, Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo, Principatibus et potestatibus undique insurgentibus Deus reddidit inexpugnabilem, et cum pacem a Constantino elargitam Arius meridianus Daemon perturbaret, et ad Dominici Gregis caulas infremeret, oves suas Lupis non diripiendas in Lupos ipsos pusillo gregi supremus omnium Parens leniendos tradidit. Populum hunc acceptabilem, bonorumque operum sectatorem (*Tit.* 2. 14.) et admirationem ab invitis quoque expromentem egregiis laudibus prosequuti sunt Lactantius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, et innumeri, qui gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam (*Ephes. c.* 5. 25.) jure meritoque adversariis omnibus internoscendam colendamque obtulere. Verum quod de sua aetate querebatur Hieronymus, amplificatas Ecclesiae opes et divitias, virtutes e contra fuisse imminutas minime diffitemur. Multorum enim animos sensim extenuaverant prava haereticorum consuetudo, multaque veterum instituta, Barbarorum incursibus, et Principum arrogantia, quae late in Ecclesiasticam potestatem invaserat, deperierant. Sexto deinde saeculo oriente, permixti barbaris victoribus Christiani indigenae morum severitatem asperitatemque suavissimae Religioni inimicam induebant; quamobrem avitas senescere disciplinas, proscri-

ptamque reviviscere passim superstitionem, quammaxime dolendum erat. Degeneres exterorum, degeneres nostrorum mores in eam denique mollitiem defluxerunt, quae gravissima Christiano populo mala peperit, ejusque historiam saeculis IX, X, et XI. faedavit. Non ea tamen obscuratio secuta est, quae conspicua pietatis ac virtutis lumina in Ecclesiam nullo non tempore immissa adimere posset, et iniqua loqueretur qui pientissimos in exemplum viros omnigenaeque virtutis duces atque magistros in depravatae etiam consuetudine Christianae Societati denegaret. Qua in re praesto fuit Ecclesiae Monachorum institutio et propagatio, cum vel ab hujusce periodi exordio universum fere terrarum orbem pervadens Catholicae doctrinae integritatem, primaevamque fidelium sanctimoniam, qua intulerit, qua foverit, qua demum instaurarit.

§. XIII.

Monachorum institutio.

—

Monachorum familiam duxit Antonius, quae ab Ægypto unde ortum habuerat late propagata debaccanti ubique terrarum libidini adversabatur, et in Pacomio, Machario, Ammonio aliisque Antonii adstipulatoribus tam asperum tamque horridum vitae genus emollitis mortalibus ostendit, ut admirationem magisquam imitationem consequi posse videretur. Victum enim vel emendicatim, vel ma-

nupretio agricolarique opere quaerere, jejunia hebdomada tota producere, herbis in ipso cibatu ac leguminibus vesci, sitim, quae urgeret, aqua profluente restinguere, noctes insomnes agere vel nuda humo cubare, auctoque supplicio, in singulas vel dies vel horas flagellis quam asperrimis caedi, et impexis capillis, squallido vultu, id omne refugere quod ullum posset adflictae carni levamen afferre ; hae novorum atletharum exercitationes , haec studia quae recensere longum foret, extra Catholicae Ecclesiae sinum non expressa sed adumbrata inquirere omnino irritum. Hanc vivendi rationem tradiderunt in Ponto et in Cappadocia Basilius Caesariensis, in Palaestina Hilarius, in Mesopotamia Aonas , sive Eugenius primus apud Syros, perinde ac Antonius apud Ægyptios, monachorum parens.

§. XIV.

Variae Monachorum familiae.

Non ab Auctoribus suis sed a locis in quibus degebant, nomen invenerant Monachi, a Thebaide, ab Ægypto, a Nitria, Tabenna, Casio ad Antiochiam monte, a Palaestina, aliisque quas obierant plagis, vel a diversis quibus inhaerebant, institutis, cum alii angustis in cellulis, alii defossis in specubus, hi in hominum consortio, illi demum per incultas solitudines errantes, futuramque Civitatem inquirentes, vitam exagitarent. Qui ab omni societate remo-

ti solitariis cellis, antris, et tentoriis abdebantur, iis Anachoretae nomen erat; communis vero Laurae denominatio, si plures eandem solitudinem alii ab aliis paullulum dissiti tenerent, unde Laura vasto ambitu conclavia invicem distincta, et domusculas amplectebatur. Aliud eorum genus, qui Caenobitae a Caenobio seu a contubernali quadam vitae ratione audiebant, omnia habentes communia et ab unius Senioris nutu pendentes. Fuerunt et Sarabaytae Ægyptia appellatione Remoboth, hique bini, terni, aut quandoque plures simul convenientes arbitrii omnino sui erant, et cum veteribus minime probarentur, infida Monachorum progenies appellabantur. Hisce dissolutiores fortasse Girovagi quos in omni vita huc atque illuc abberrantes, vaga instabilique fortuna usos, deliros vere, insanoque spiritu circumactos dixisses. At mirus poenitentiae ardor in desertissimis Syriae ac Mesopotamiae solitudinibus non deferbuerat in quibus multi mortales sub diu durantes, herbido tantum cibo contenti, quem sola falce omnium instrumentorum instar sibi comparaverant, et Pascentes vocati, effraenam mundi licentiam, degeneremque monachorum relaxationem arguebant. Alexandro Constantinopolitano Patriarchae debentur Acaemetae, idest insomnes Monachi qui tripliciter distributi, alii alios excipiendo, dies noctesque Divinis jungebant officiis, et de insignibus Monasteriis, de Studiensi inprimis (quod vir inlustris et consularis

Studius erexerat) gloriati sunt. Sed omnino singulare fuit eorum genus ac nomen, qui Stylitae sive Columnales appellabantur et exemplo Simeonis Stylitae Columnae incumbebant; neque id ex peculiaris Instituti ratione, ut nonnullis placuit, sed exquisita paenitentiae accessione.

§. XV.

Monachi Occidentales.

In ea fuit sententia Hieronymus, Monachorum disciplinam ad occiduas regiones cum Athanasio devenisse, qui ab Arianorum furore Romam aufugiens, ad fraternam, quae in Ægyptiis Monachis vigebat, conjunctionem Eremitas adduxerit. Faverunt inceptis Galli, faverunt majori animorum aestu Itali, auctore praesertim incentoreque tum re tum verbis Martio, qui Turonensem Episcopatum gerebat, et ad cujus funera duo Monachorum millia se se insueto prorsus spectaculo constipasse dicuntur. Lericensis Monasterii in insula maris Mediterranei extremae Phocensium Provinciae adjacente Conditor fuit Honoratus ad Arelatensem Cathedram anno 426. evectus; inclyti in Massiliensium Urbe asceterii vir non minus illustris Joannes Cassianus Saec. V. in Gallia hospes, qui Monachorum millia quinque rexisse traditur. Sed praestantissima ad Monachorum propagationem, ad virginum caetus promovendos fuerunt exempla et scripta Hierony-

mi qui praecepta in solitariam vitam bene multa literis suis consignavit: hinc celeberrima Monasteria excitabant Italia, Gallia, Germania, Helvetia, ex quibus praecipua Luxodense in Burgundia, Boviense in Italia floruere.

§. XVI.

Monachorum incrementum per Benedictum.

Provexerunt magnopere Monachorum disciplinam Saeculo VI. Caesarius, Aurelianus, Ferreolus, Columbanus aliique non pauci qui Sodales Virginesque Deo Sacras ad certas vivendi normas exegerant; quorum autem labores et studia longe excessit insigne illud monasticae disciplinae ornamentum et columen Benedictus, quem occidentales populi monasticae disciplinae ab inchoato restitutorem fatentur. Hic Nursiae ortus in Umbria, pontificiae ditionis provincia, Romamque a parentibus studiorum gratia missus, plurimum sane in omni doctrina profecit, qui, Möyses alter, ingentis populi legislator futurus erat, adeoque brevi profanae conversationis, frequentissimiquetotius terrarum orbis theatri pertaesus est, ut ad locum qui Sublacus audit, abditissimoque specu secesserit, ibique aliquamdiu delitescens arctissimae illius poenitentiae, quam in omni vita secutus est, solida fundamenta jecerit. Inde anno 528. profectus Montem Cassinum petit, quem ex turpi Idololatriae recepta-

culo egregium Christianae virtutis domicilium reddidit locumque peropportunum existimavit ubi percelebrem illam Ordinis sui regulam, quam fidelem Auctoris sui imaginem et historiam cum S. Gregorio dixeris, conficeret. Inde novum Dominici agri seminarium, inde arbor illa excelsa et undique patens, quae flores, fructusque suos quoquoversus effudit, cujus umbra omne dignitatis, sapientiae virtutisque fastigium protexit. Insignia hujusce Ordinis benefacta acceperant Galliae a Mauro, Sicilia et Sardinia a Placido, Anglia ab Augustino et Mellito, Italia cum aliis regionibus a Gregorio Magno, qui aliquo temporis intervallo ad illius praescriptum vixisse creditur. Neque minus acceptum refert Germania a Bonifacio, qui cum ad Christianam veritatem eam excitaret, addidit hisce eximiis meritis Coenobiorum aedificationem et curam, quo nil utilius nil solidius ad enascentis Religionis incrementum existimabat. Bonifacium qui Ferislariense, Fuldense, aliaque extruxerat monasteria secuti sunt Suidbertus, et Willibrodus, quorum alter Neerdense, alter Esternacense, fundavit. De hoc ordine nulla conticescet posteritas quot, et quae perfugia gravibus disciplinis amaenisque literis praebuerit, quae aut vi temporum deletae, aut barbarorum inhumanitate huc atque illuc exsultantes custodem ac vindicem Benedictinorum sodalitatem, immortalibus operibus editis, adhuc eloquuntur.

§. XVII.

Monachorum Privilegia.

Qui ex Monachis sacricolarum numero essent adscribendi arctiori vinculo Episcopali obstringebantur auctoritati, quae Caenobia vel Sacerdotio carentia jam antea complectebatur; et privilegiis quantumvis aucti a Pontificibus, Patriarchis, et Regibus, non id tamen consequi potuerant Monachi ut ab Episcopali potestate eximerentur. Huic potestati, non quoad spiritualia sed quoad temporalia, a Conciliis Gallicis quae Clodovaei temporibus habita sunt, aliquid fuisse detractum existimat Thomassinus. Primo hujusce immunitatis exemplo donavit Adeodatus Pontifex anno 670. Monasterium B. Martini; altero Zacharias PP. Germanicum Caenobium Fuldense, quod omni Episcopali jure solutum, et a Bonifacio ipso Archiepiscopo et fundatore rogatus, Romanae Sedi proxime subjectum voluit. Ex longinqua etiam vetustate Carthaginiensis Ecclesia, quam Primatis Episcopi dignitas ornabat, et aliae omnes, quae in Africa erant, veluti matrem reverebantur, Monasteria totius Africae in fidem suam susceperat, neque Diaecesanorum Antistitum juribus teneri sinebat; quae privilegia multo antea a Conciliis Carthaginiensibus, quam a Romanis Pontificibus profecta sunt. Eamdem potestatem in multa Monasteria Constantinopolitanus Pa-

triarcha Saec. VII. exercebat, vicariam vero Patriarchalis Exarcha, quem ille Sacris illis Sodalitatibus praefecisset. Non omnia tamen, sed Coenobia illa Patriarchali ditioni permittebantur, quibus vix conditis Patriarchalis Crux esset praefixa: id erat apud Graecos Stareropegium.

§. XVIII.

Canonici.

Clericos, quos vitae institutum a Monachis distinguebat, Canonicorum nomine distinguere consuevit Graeca Ecclesia eo quod eorum nomina in Templorum matricula Graece Canone, Catalogo, hieraticon describerentur. Cum vero vox Canon *regulam* etiam sonet, idcirco qui peculiari vivendi norma certisq. regulis continerentur, Latina Ecclesia Canonicos appellavit. Cohabitatio eisdem cum Episcopis, vitae ratio haud procul a monastica, praecipue autem partes indefessus cum Episcopis ac splendidior rerum divinarum cultus; unde Ecclesiae fere cognatum ordinem Canonicorum Regularium unusquisque sentiet. Fovit quam qui maxime ac provexit instituta ejusmodi Augustinus in Hypponensi Ecclesia, deditque populis occidentalibus Eusebius Vercellensium Antistes, quem plurima ubique erecta Clericorum Collegia secuta sunt. At cum Canonicus Ordo temporum acerbitate, et barbarorum impetu varie afflictus sit, ac primaeva hominum studia de-

ferbuerint, omnia instauranda suscepit Grodecandus Metensium Pontifex, peculiaribusque praescriptis anno 742. munienda. Clericos itaque Canonicos ad contubernii et triclinii communitatem revocat, canonicas horas persolvere, statisque temporibus in Conclave quoddam (Capitulum dicebant) adesse jubet, quo selecta ex Sacris literis, vel Sanctorum Libris, connaturale religiosis viris pabulum, exciperent. Ad hanc normam Canonicorum disciplina a Gallicis, Anglis, et Germanis Episcopis redacta ubique increvit, ubique effloruit, regioque patrocinio Caroli Magni, Ludovici Pii, et exornari promeruit (219).

(219) Ea fuit Monachorum virtutis opinio primis Ecclesiae saeculis ut Episcopi strictioris disciplinae amatores monasticam severitatem clericalibus Officiis vellent consociari. Neque remittebatur eadem severitas aut regularis observantia, si qui ex monachis ad episcopalem apicem efferrentur; quin potius irrecusabili auctoritate, quae ex germanae virtutis opinione oritur, pollentes in maximis rei vel christianae vel publicae temporibus haereticorum pertinaciam infringere, factiosorum licentiam compescere, et ad Regum animos pro bono Ecclesiae sibi viam parare valuerunt. Ad literas et ad graviora studia se se paullatim conferentes, aedificatis optimarum artium ludis, et bibliothecis institutis, ditissimam doctrinarum supellectilem congesserunt. Plura hic adderem sed nec tempus, nec locus. Illud tantum praetermittere nequeo, Monachis qui nunc inutiles ab sciolis vel impudenter vel invide clamantur, omnium monumentorum, quae ad rem profanam et sacram pertinent, tutelam incolumitatemque deberi. Cff. Mabillonius in opere - Annales Ordinis S. Benedicti - Lucae 1739. et in alio opere edito cum Luca d' Achery et inscripto - Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti - Venetiis 1733. Gabriel Pennottus in opere cui titulus - Generalis totius Ordinis Sacri Ordinis Clericorum

Canonicorum historia tripartita - Romae 1624. Joannes Antonius Zunggo - Historiae generalis et specialis de Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini - Ratisbonae 1742. et 45. Assemannus Joseph Simonius T. III. part. 2. pag. DCCCLX. Romae 1728., et ut de ceteris sileam Cf. *Storia degli Ordini Monastici Religiosi*, *e Militari* - Lucca 1737.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS.

§. I.

Haereticorum reliquiae, et casus.

—

Domitae superioribus saeculis at nondum deletae haereses alia Ecclesiae mala, novo turbarum excitu minabantur, Manichaea praesertim, quae licet ubique depressa fuisset, in Civitates tamen multas et provincias erumpebat. Haud semper hoc impune tulit, aerumnisque gravissimis Anno 523. homines ex eadem factione in Persidae objecti caedeque interempti, qui regium Cabadis filium irretissent. Neque meliori fortuna quam Catholici usi sunt sub Diocletiano Caesare, varieque potius sub Christianis Principibus exagitati, Romano denique imperio extorres ab anno 285. ad 491., proscripti, omnique suppliciorum genere mulctati ad extrema vocabantur; qua in re suppeditat Theodosianus Codex Leges editas a Valentiniano Seniore, a Theodosio M. ejusque natis Honorio et Valentiniano III. Quies annorum viginti septem consecuta est sub Anastasio, qui ut matri morem gereret gladium recondidit, quem postea a Justino, aliisque Im-

perii Praesidibus iterum eductum, barbari Reges Gensericus praesertim et Hunnericus contra Manichaeos in Affrica distrinxerunt (220).

§. II.

Postrema eorum Fata.

—

Quod in lucem proferre non poterant Manichaei in tenebris agitabant; sodales adlegere, falsis deceptionibus incautos circuire, perjuriis fallere, ementitae fidei professione vim Legum declinare, insignesque viros, Augustinum praesertim specie quadam assimulatae sapientiae Catholicaeque pietatis tenere. Et cum dura barbarorum imperia aversati ab Affrica in Palaestinam, et in Italiam discessissent, ut in populi frequentia facilius delitescerent, firmas in Urbibus sedes quaerebant. At res in eorum perniciem cessit; siquidem in magnam hominum doctrinam incurrentes, eruditissimis scriptis (Cyrilli Hierosolymitani, et Augustini qui Catholicus evaserat) refutati sunt: nec quidquam integrum eis reliquerunt Pontifices, Leo in primis sedulus haeresum investigator qui ad incunabula eorum usque pervenit, scelera expressit, detestabi-

(220) Vid. Petrus Thomas Cacciari in historia Manichaeorum lib. 2. p. 107. operis inscripti - Exercitationes in universa S. Leonis Magni opera - Romae 1751.

lemque pestem ab Urbe, et ab Italiae finibus ejiciendam curavit (221).

§. III.

Priscillianistae Manichaeorum soboles in Occidente.

In hanc pestem importunissimam quae Hispaniam Sec. IV. contaminare caeperat incidit Priscillianus nobili loco natus, ingenio, facundia praestanti qui novam haereticorum familiam, ab auctoris nomine Priscillianistas eduxit, Manichaeorum Gnosticorum, aliisque erroribus faedavit: et in mendaciis, atque perjuriis quae sectae proditionem caverent, maximum momentum posuit. Infaustae sobolis propagationem pertimescentes Caesaraugustanae Synodi Patres damnatorium judicium afferunt anno circiter 380., idemque promulgandum implendumque committunt Ithacio Episcopo (222). Hic vero durius quam par esse videretur, tantoque aestu mandata exhaurit, ut apud Maximum Tyrannum, cujus opem Priscillianus cum suis imploraverat, capitis paenam provocaret: plurimis itaque invisus Episco-

(221) Vid. cit. auct. lib. II. cap. 4. p. 126. et seqq. et Augustinus contra Manichaeos.

(222) Ab hac sententia declinare tentarunt Priscillianus ejusque fautores, duo praesertim Episcopi Instantius, et Salvianus, sed ad Damasum primo dein ad Ambrosium convolantes nihil profecere; a Gratiano Imperatore tandem rescriptum impetrabant, ut Ecclesiis unde exciderant redderentur, sed defuncto Graziano Maximi crudelitatem sunt experti.

pis ob tam furialem in Ecclesiae negotio ausum et Martino Turonensi praesertim, ab eorum communione repudiatur, quod Ecclesiasticae consuetudinis, Christianaeque lenitatis oblitus sanguinariae sententiae de se auctorem dederit. Neque ferro extirpari potuerunt haec germina quae cum passim succrescerent, Episcopalium Synodorum in Hispania, Bracarensis praecipue anno 569., aciem excitarunt (223).

§. IV.

Messaliani in Oriente et Paulliciani.

—

Quemadmodum in occiduis regionibus Priscillianistas, ita et in Orientalibus Messalianos (224) Manichaeorum secta procreaverat. Caput erat in eorum placitis, omnium animas malignum Daemonem tenere, nec nisi adsiduis precationibus et hymnis expugnari; unde etiam varia nec absimilia errorum monstra loquebantur, et qui Messaliani antea

(223) Adisis Cacciarium – *de Priscillianistarum haeresi et historia* – ext. p. 210. operis sup. laud.

(224) Ευχίτας et ἐνθουσιαστὰς dictos quia daemonis afflatu, quo corripiebantur, Spiritu Sancto plenos se dicerent. Vid. Theodoretus lib. IV. Hist. cap. XI. pag. 161. edit. al. cit. Cantabr. T. III. Scriptor. Hist. Eccl. Dicti sunt etiam Encratitae, Marcionitae, Phundaïtae, Bogomili, et Lycopetriani ab Lycopetro hujus sectae principe. Vid. Euthymius Zigabenus in libro inscripto – Ἔλεγχος και θρίαμβος – ext. graec. lat. Jacobo Tollio interpret. inter Tollii insignia itinerarii Italici quibus continentur antiquitates sacrae. pag. 106. Trajecti ad Rhenum 1696. Cf. Epiphanius haeres. 80. pag. 334. T. II. opp. edit. ab Dionysio Petavio Coloniae 1682.

audiebant, a precatoria illa consuetudine Euchitae (id nominis e Syriaca voce deductum) postea transnominatos legas. Immo et Enthusiastas appellare licuit, qui gestatoriis motibus jocularia Daemonibus fundere solebant, et Adelphianos, qui Adelphium signiferum ac magistrum secuti fuerant. Priscillianistas imitati, nova dogmata, et cum dogmatis proponere audebant anathematis paenam, unde magna sagacitate opus fuit Flaviano Antiochaenorum Antistiti, ut Adelphium tentare, et ad ejus arcana pervenire posset: hisce tandem exploratis, praestigiatorem et asseclas suos damnat, et ab Oriente universo ejicit, quos coacta ab Amphilochio Iconiensi Synodus anno 383. pari judicio comprimit (225). Presso quoque vestigio Manichaeos secuti sunt saec. VII. Paulliciani (226), quos inter et Graecos sub Constante II., Constantino Pogonato, et Justiniano II. disceptatio intercessit. Hi parentem reverebantur Paullum, qui non secus ac Germanus frater Manichaeorum erroribus a Gallinica Matre imbutus, et in Armeniam erroris disseminandi cau-

(225) Praeter Epiphanium loc. cit. vid. Jo. Bapt. Cotelerius in monumentis Ecclesiae graecae editis Luteciae Parisiorum 1677. pagina 302. T. I.

(226) A plerisque confunduntur (a Theodoro Balsamone in can. Nicaen. 19.) cum Paullianis seu Paullianistis aut Paullicianis, qui nomen sumpserunt ab Paullo Samosateno veteri Antiochiae Episcopo, dum hi de quibus cl. auctor originem ducunt a Paulo Gallinicae Samosatenae filio, vel ut aliis placet a Paulo et Joanne fratre liberis ejusdem Gallinicae. Vid. sup. cit Cotelerius in monumentis Ecclesiae grecae in notis pag. 742.

sa ab eadem missus, ingenti sibi adscito hominum numero maternae inhonestaeque spei satisfecit. Hisce exemplis Constantinus, qui et Silvanus appellari voluit, Catholicae doctrinae nomine Manichaeorum haeresim involvere, multisque suadere potuit donec lapidibus obrutus paenas dedit e mandatu Constantis Aug., qui idem postea miserrima perversione, illius, quem neci dederat, dogmata amplexus, pro Tito Apostoli Pauli discipulo se se gerere non erubuit.

§. V.

Donatistarum initia.

At non adhuc id periculi Christianae Civiliq. Reip., suberat quod postea disceptantes inter se Donatistae et Ariani conflabant. Mensuriano qui Carthaginiensi Ecclesiae praeerat, anno 311. e vivis ablato, Caecilianus in locum illius, cui jam antea Archidiaconus operam suam navaverat, comuni omnium suffragio eligitur, et a Felice Aptungitano ritu solemni consecratur. Hic spe dejecti, iraque incensi duo e Clero Carthaginiensi Botrus et Caelestius, qui se honoris illius candidatos profitebantur, electionis vitia confingunt, a Caecilii communione, quotquot possunt, et a merito virtutis dignitatisque obsequio abducunt; Lucillae praesertim innixi quae dives factiosaque foemina, a Caeciliano jam antea ob adhibitum praepropere cujusdam Martyris cultum gravissimis verbis reprehensa susce-

ptam nondum deposuerat simultatem. Suppetias ferunt e Cartaginiensibus senes nonnulli, qui concredita a Mensurio persecutionis tempore, vasa aurea et argentea efflagitanti Caeciliano reddere recusant. Triplici hoc pacto veluti acie instructi hominem obsident, exitiosumque schisma conflatur, quod (ut Optati verba referamus) « confusae mulieris ira peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit » Primum statuunt inter accusatoria artificia, Caecilianum nullo jure in Pontificatum irrepsisse, idque simul objectânt a Lucilla et a cuncta factione inflammati Numidae Episcopi, eo quod eorum adventu praeter antiquam consuetudinem inexpectato, illius consecratio properata sit; et cum communicatoriae Literae a transmarinis Ecclesiis ad Caecilianum pervenerint, ipsi Carthaginem petunt et in Concilium, quod conflaverant, eundem vocant. Judicium accipere recusavit Caecilianus qui plerosque traditionis aliorumque facinorum reos agnoscebat; quapropter refragantem, absentem, indictaque causa gradu amotum pronunciant, et Majorinum Diaconum contra eum constituunt.

§. VI.

Donatistarum progressus.

—

Huic decreto ut robur accederet, synodicas Epistolas per omnem Africam mittunt Numidae Aepiscopi, in quibus duplici de causa Caecilianum

vitio consecratum contendunt, qui caput supposuerit manibus Felicis Aptungitani Sacrorum Codicum, uti calumniabantur, traditoris ob metum Diocletianeae persecutionis, et quia cum jam inter Levitas adscriberetur immisericordem erga Confessores carcere detentos queis cibum introferre vetuerit, et inhumanum in omnes sese ostendisset. Inde magna dissidia extitere, cum pars incaute decepta a Caeciliani Communione recederet, pars eidem adhaereret, illudque discordiarum veluti incendium exortum, quo tota Africa brevi conflagravit. Hujus belli dux occurrit perpetuus ille Caeciliani adversarius Donatus Casarum Nigrarum Episcopus, qui inchoatam in eum et in Catholicos sectam de suo nomine designasse dicitur, licet id nominis ab alio Donato, quem Magnum vocabant Donatistae, non pauci inditum putent. Interea tamen Caecilianus a Catholica communione non modo non repudiatus, sed optimae voluntatis testimoniis ab Episcopis honestatus, eadem quoque retulit a Constantino Magno, qui fusis Maxentii copiis, et Africa in fidem suam recepta, pecuniam in singulas Afrorum Ecclesias Caeciliano, uti literis praescriptum erat, Carthaginiensium Pontifici, diribendam misit (227).

(227) De Schismate Donatistarum consulendi Henricus Valesius T. I. Scriptor. Hist. Eccl. edit. Cantabr. ad calcem opp. Eusebii pagin. 775. Optatus Milevitanus de Schismate Donatistarum et de eorum historia, quae omnia eruditissimus Ludovicus Ellies Dupinius edidit

§. VII.

Donatistarum Conatus.

Iniquo ferentes animo Schismatici, tam praeclare erga Caecilianum testata Constantini studia, qui omnem distribuendae pecuniae curam in eo posuerat, aliam viam ineunt, ut Caecilianum perdant, eumque apud Augustum per Anulinum Proconsulem mendaciis onerant, clamoribus querelisque in dies Constantinum urgent ut causae inquisitionem decernat quam Melchiadi Pontifici Maximo et Episcoporum caetui defert: indignabundus equidem tantum dissidii exstare ab Episcopis, quos Deus pacis auctores conciliatoresque voluit, nihilque antiquius habens quam ut omnes discordiarum fontes praecluderentur. Conventus itaque factus est Episcoporum in domo Faustae in Ædibus Lateranensibus VI. Non. Oct. A. 313. ibique patefacta et et pronunciata Caeciliani innocentia, et Donati perversitas, judiciumque a Melchiade absolutum « Et qualis, inquit Augustinus (Ep. 43. n. 16.), ipsius Beati Melchiadis ultima prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica! qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Do-

Antuerpiae 1702. et Henricus Norisius in historia Donatiana a Balleriniis fratribus aucta T. IV. opp. Norisii edit. Veron. 1732.

nato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, Sanitatis recuperandae optionem liberam ceteris fecit » Decretum hoc Romanae Synodi cum irritum reddere non possent Donatistae, infirmare saltem ac imminuere studuerunt conquaesti apud Caesarem, neque judicis severitatem, neque inquisitionis studium in Patribus eluxisse, sed omnia fuisse celeritatis et festinationis plena; et cum molestiam Constantino quotidianam exhiberent, eo rursus clamoribus adduxerunt ut causam de Caeciliano instaurari pateretur, Episcopos undique in Gallias vocaret, et Arelate ad rem finiendam convenire juberet. De hoc conventu, etsi Acta perierint, nihil Donatistis gloriandum fuisse, novum potius veritati testimonium prodiisse comperimus ex Epistola (228) Patrum ad Silvestrum, quam apud Harduinum legas. (229).

(228) Cf. Petrus Coustantius in epp. Romanor. PP. T. I. coll. 327. et seqq.

(229) Nullus cum fidelibus, nullus inter se ipsos Donatistarum consensus; nam ut sectas aevo obliteratas praetereamus duae certe factiones flagrarunt, quarum altera Primianum altera Maximianum sequebatur: hi omnes non modo catholicis, sed crebris motibus Reipublicae infesti evaserant, lataque a Constantino lege de Basilicis sectae huic auferendis, quas nondum amiserant, armis decertare ausi sunt; unde ortum habuere *Circumcelliones*, furiosum temerariumque Donatistarum satellitium, ex infima populi sorde haustum, perdita agrestium latronum manus, ad omne facinus congregata, quae odio in Catholicos, flagitiis in omnes per totam Africam diutius est debacchata. De effraena ac praecipiti, qua in Christianam plebem ferebantur rabie, hoc satis habeas, eos ad caedes ruere solitos hoc sonitu - *Deo laudes* - eoque tanquam a tuba ad nostrorum excidium con-

§. VIII.

Ariana Haeresis.

Initio hujus periodi emersit Ariana haeresis, quae postea Principum auctoritate armari cunctasque terras pervadere potuit, educta primum ab Ario (230) Sacricola Alexandrino in quo doctrinae, facundiaeque praestantia cum versutia animi insidiosissima (quam superbia interdum et iracundia

citari. Quin et aliud mirari licet furialium hominum exemplum; cum enim Idololatriae notam et infamiam Catholicis creare studerent, ipsi insuetum vitae fastidium jactare, ab idolorum contemptu mortem et martyrum gloriam quaerere; cum vero eorum multi Paganorum festis immiscebantur, non tam evertendae superstitionis, quam mortis oppetendae causa, quidam se se interficiendos armatis viatoribus objiciebant, aquis etiam et igni se committere quotidianus fuit multorum ludus. Sed cum ex hac agrestium praedonum libidine factionem omnem in summum odium adduci intelligerent, Donatistarum, proceres, motus adeo incompositos, cruentasque turbas cohibere student et a Taurino comite publicis legum habenis reprimenda precantur. Addunt quae ad majorem sectae fidem, et laudem apprime facere posse viderentur, se illam nempe esse Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, praeter quam nullus ad coelum aditus pateat, et qui per schisma tantum a Petri cathedra secesserant, post sententiam Constantini in eos prolatam, haeresi quoque crimen illud cumulant, validumque sacramentorum ministerium illis solummodo concedunt, quos vitae sanctimonia praestantiores efficeret; unde invalidos esse ministros qui Donato repugnarent, et Catholicos qui ad eos accederent, lustralibus aquis renovandos, veluti corollarii loco consequeretur. Cff. citt. Ballerinii in opp. Norisii.

(230) Presbytero Alexandrinae Ecclesiae. Vir doctus imprimis et eloquens, at animo vafer ac subdolus, invidus, iracundus, superbus.

prodebant) conjungebantur. Vastus animus nimis alta percupiens, et delatam, quam anhelabat, viro pientissimo Alexandro Alexandrinam sedem indignatus, clanculum primo et fraudolenter, propalam deinde veneno suo mortales aggredi, capitalique errore imbuere, qui Aeterno verbo divinitatem (231) superna attributa, resque divinitus gestas inficiaretur. Duplici perculsus synodorum sententia, quas Alexander Alexandriae coegerat anno 319. vel 320, in Palaestinam se recipit, quam fere totam pluresque in ea Episcopos in suas partes vocat. Ex iis vero qui veneficum hominem complexi sunt, nullus flagrantiori studio incensus est quam Eusebius Nicomediae Antistes in Bythinia totus in eo incumbens, ut Arius Alexandrinae Sedi restitueretur, et subdolus Constantino auctor, ut concordiam (si conventio esse possit Christi ad Belial) inter Alexandrum et Arium datis literis constitueret.

§. IX.

Ejus damnatio et Nicaena Synodus.

—

Ast cum ab Osio Cordubensi, qui Alexandrinae synodo an. 324, sententiaeque ab Alexandro in Arium habitae libenter subscripserat, Imperatori renunciaretur, omnia per fraudem ab Eusebio perpetrata esse, ille vero Ecclesiam ab omni contentio-

(231) Vid. Epiphanius haeresi 69. edit. Petavii pag. 266. T. II.

ne et lite liberare gloriae sibi verteret, Nicaenam synodum Oecumaenicarum primam, auctoritate fretus Silvestri Romani Pontificis, indixit anno 325. (232) solemnisque ab ea prodiit catholicae veritatis confessio « Verbum seu Filium Dei esse *homousion*, ejusdem nempe cum Patre substantiae » Deinde qui haeresim deturbaverat, optime de Ecclesia meritus Imperator, haereticorum principem in Illyricum exulare jubet; sed ob sollicitas Constantiae sororis preces, quas Presbyter quidam arianae factionis callide incitaverat, judicii severitate lenita, Arius ab exilio revocatur anno 327. Novam fiduciam haec Imperatoris remissio novos spiritus attulit Episcopis perduellibus, qui occasionem captantes celebrandi Encaenia Templi Hierosolymitani, hisque persolutis, anno 335. Constantinopoli conventum agitant, comunionemque suam Ario impertiunt, audax sane facinus ingeminantes, cum Tyri jam antea injuria damnassent Athanasium, qui Alexandrum in Alexandrino Pontificatu, et in admirabili repudiandae arianae pacis constantia secutus fuerat. Ceterum diuturna impunitate Ario frui non licuit, qui dum ad Constantinopolitanum Templum tumenti fastu accederet, obscaeno horrendoque morbo correptus, diffusis visceribus, perditum Judae proditoris exitum repraesentans, mediusque crepens, triumphum,

(232) Vid. Socrates Hist. Eccl. lib. I. cap. 8. et seqq. pag. 18. T. II. Scriptor. Hist. Eccl. edit. Cantabrig. et Alber in diss. VI. de Nicaeno I. Oecum. Concil. T. I. diss. edit. Pestini 1820. pag. 204.

quem sibi suisque paraverat, vindici Deo, invitus dedit anno 336. (233).

§. X.

Haeresis vices sub Constantino.

Protectam imperatoris patrocinio Nicaenam fidem cum aperte aggredi non auderent Ariani, novas calliditates, quibus solis pollebant, novaque consilia versantes, mendacique criminum confictione, strenuos Catholicae veritatis propugnatores persequi, gradu movere, sibique faventes intrudere nisi sunt, et Eusthatium Antiochaenorum Antistitem factioni adversantem, Episcopali dignitate privare, gravique aerumnarum pondere opprimere potuerunt. Nullus autem gravioribus affectus est damnis et infortuniis quam Athanasius, cujus magnum apud omnes nomen, ad infamiam homicidii, adulterii, seditionis et sacrilegii, variis calumniis instructis pertrahere, adscitisque in facinorum societatem Meletianis, qui centies causa ceciderant, extrema discrimina fortissimo viro intendere non destiterunt. Atque ut nihil ad ejus exitium deesset, de quo tam acerbe tam crudeliter cogitabant, per synodum anno 335. Tyri in Phaenicia coactam odiis, accusationibus, et maledictis subscribendum, hominem-

(233) Vid. Travasa in – *Istoria critica della vita di Arrio primo eresiarca del quarto secolo* – Venezia 1746. Cf. Natalis ab Alex. T. IV. Hist. Eccl. p. 241. edit. Lucae 1750.

que integrae fidei, egregiaeque pietatis ab Episcopali apice judicio insigni turpitudine notato dejiciendum curarunt, nullisque pepercerunt artibus queis captus vel ipse Caesar (nemo est enim qui non aliquando labatur, non aliquando caecutiat) Athanasium insequenti anno Trevirim, quae Galliae Belgicae est civitas, relegavit (234).

§. XI.

Sub Constantio.

Sed posteaquam Constantinus vita functus est, haeresis quae inter insidiarum latebras delitescebat iterum erupit, adeoque, circumventionibus Presbyteri cujusdam Ariani, Constantium Imperatorem, occupavit, ut nihil de ejus patrocinio sibi spondere non posset. Pepercit ea quidem occidentalibus provinciis quamdiu Constantini, et Constantis Nicaenae fidei assertorum imperio paruerunt; orientales vero plagas, quas Constantius factioni addictus tenebat, acerrime divexavit, et Catholicis avulsis Pastoribus, sectariisque suppositis, electam vineam demoliri, partemque Domini conculcare non destitit. Hanc vim atque injuriam Presules sanctissimi subiere Paulus Antistes Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, et Athanasius Alexandrinus qui

(234) Legantur opera S. Athanasii contra Arianos de divinitate Jesu Christi.

post Synodum Sardicensem a Constante in pristinum honoris gradum restitutus, inde necato Principe anno 350, rejectus est. In idem fatum alii orthodoxi Episcopi, concessere Osius Cordubensis, et vel ipse supremus Antistes Liberius, fallacibus Arianorum formulis, et Athanasii damnationi adversantes ideoque a Constantio, alter Sirmium, alter Bereaeam in exilium pulsi (235).

(235) Cf. cit. Alber diss. IX. T. I. pag. 379. et diss. X. de Liberio Papa, et Osio Cordubensi Episcopo ibid. pag. 441. Consulatur nostra nota sup. (56) pag. 110. ubi de Liberio. Hac saevitia grassabantur Ariani, quae nonnihil tepescere visa est cum perculsi a Nicaeno Concilio contentionibus et discordiis discerpti, et in varias sectas abeuntes, debilitari paullatim ac dissolvi coeperunt. Tres igitur in facies versa haereticorum factio eos primo nobis ostendit, qui Arii sensum stricte interpretantes Unigenum Dei filium, neque coeternum neque aequalem aut Patri similem dixere, ducem habentes Aetium, nomen Anomaeorum, asseclas vero Eunomium, et Eudoxium Antiochenum. Altera eorum pars vocem *homousios* a Nicaena Synodo sapienter adhibitam renuens, *homousion* sufficere maluit, ut gratiae potiusquam naturae similitudinem significaret, virosque in primis nobiles adnumeravit, Basilium Ancyranum, Georgium Laodicaenum, Eusthatium Sebastenum, queis ob dimidiatum pravitatis dedecus Semi-Arianorum obvenit nomen. Aliis demum neque *homousion* neque *homiusion* arrisit, sed homon dumtaxat ad eam similitudinem designandam, qua imago ad Archetypum suum accedit. Hi Acaciani audiunt ab Acacio Caesareae in Palaestina Episcopo, qui sagaci astutoque ingenio praeditus cum Christicolas omnes et fortasse etiam Constantium, Anomaeorum placita valde aversantes videret, ad illam vocem confugit, licet eamdem quam Anomaei, filii a Patre dissimilitudinem fateretur; quo ex tempore Arianorum multitudo ad duas sectas, Anomaeos sive Acacianos et Semi-Arianos redacta est.

§. XII.

Sirmiensis Synodus et Seleuciensis.

Variae postmodum sectae ab Ariana ortae sunt inter quas distinguuntur Acaciana et Semi-Ariana (236) ex quibus fontibus innumera in omnem Ecclesiam, et in rempublicam mala diffluxerunt. Constantinus, ut iis mederetur, binos episcoporum conventus indixit, alterum Ariminum Italiae Urbem, Occidentalibus, alterum Seleuciam in Isauria, Orientalibus. Quot fere habebat Catholica Ecclesia Episcopos circiter 400., tot habuit Concilium Ariminense, qui licet aliquid in Orientales definire vetarentur a Constantino, cum Ecclesiae negotia magisquam Imperatoris voluntatem respicerent, a triplici formula quam Ursacius et Valens inter Arianos Episcopi subscribendam obtulerunt, et ab iis omnibus quae haereticam labem puterent, constanter abstinuerunt, probato Nicaeno Symbolo, Ursacii et Valentis, et aliorum nominibus, qui obsisterent anathemate inustis. Haec cum ageret Ariminensis conventus, Seleuciensis ardebat e contra contentionibus Semi-Arianorum, et Anomaeorum ab Acacio excitatis qui voces *consubstantialis et similis* repudians, et Filii cum Patre similitudinem praedicans novam formulam suadere satagebat. Res eo deducta est, ut, cum nulla spes pacis affulgeret,

(236) Vid. nota sup.

Leonas Constantini legatus ad Concilium dissolvendum dimiserit (237).

§. XIII.

Infelix Ariminensis Synodi exitus.

—

Deinde Caesar, qui Patribus Ariminensis Synodi ob contemptum, ut superius innuimus, imperium, succensuerat, Arianos Praesules Seleucia reduces, et Concilii Ariminensis Legatos, Nicaeae in Thracia ad Synodum coegit, in qua doli et minae Arianorum adeo valuerunt, ut multi ex Ariminensibus congregatis, formulae specie quidem Catholicae, at Ariano viru reipsa aspersae subscriberent, qua a Catholicis indignanter repulsa, novam aliam, quae Verbi cum Patre consubstantialitatem et similitudinem tolleret, Constantius arbitrium agens de fide, et Acacianis artibus usus Patribus iterum obtulit. Immo, et Valenti, qui novis fraudibus se se interserebat, aliam formulam conficiendam dedit, retulitque, ut versipellem decebat auctorem, flexiloquam et ancipitem, in qua Catholicum sensum Ariminenses sunt interpretati, Arianum Ariani, jactabundi iidem quod pestiferam pro innoxia doctrina venditassent. Haec vero omnia vix Ariminenses explo-

(237) De formulis Sirmiensibus vidd. Petavius opusc. II. ext. T. II. Thesauri Theologici pag. 503. edit. Venetiis 1762. et Petrus de Marca in diss. de synodo Sirmiensi, extat in ejusd. auctoris opusculis editis Parisiis 1681.

rant, Liberio Pontifici Summo, aliisque Episcopis per literas asseveranter significant, se catholico sensu ea professos esse, quae ad haereticum ariana calliditas intenderat (238).

§. XIV.

Arianae haeresis vices in Occidente, mortuo Constantio.

Post Constantium, qui anno 362. decessit, Juliani electio reditum eorum in patriam, qui religionis causa exulaverant, et Athanasii redintegrationem attulit; et post Julianum, et Jovianum Imperatores altera ab Oriente extitit in Occiduis regionibus Arianorum fortuna. Qui enim hanc tenebant Romanae ditionis partem, ad Catholicos erigendos, conculcandosque haereticos animum adjiecere junctis studiis cum supremis Ecclesiae Pastoribus, et cum Hilario Ambrosio, et Augustino, qui nihil non est molitus, nihil non praestitit, ut Occidentem totum ariana malitia expurgaret. Immo nullus amplius in hisce provinciis locus Arianis superfuit, si demas Sedem Mediolanensem, in quam Auxentius (239) omnium deterrimus invaserat, et nonnul-

(238) De Concilio Ariminensi eruditissima extat dissertatio alias laudati Corgnei cui titulus – *Dissertation critique et theologique sur le Concile de Rimini* – *A Paris* 1732.

(239) Adversarium nactus est Hilarium Pictavorum episcopum qui contra eum, librum scripsit invictissimis rationibus fulgentem. In Romana, aliisque synodis damnatus est Auxentius, ut testatur Athanasius in ep. ad Epictetum.

las urbes Illyricas, quas Ursacius, et Valens cum suis polluebant. Interitu Valentiniani et Gratiani, cum Justina Valentiniani II. mater Arianorum damnis resarciendis se se libenti animo praeberet, minime defuit Ecclesiae Ambrosius, et plura mulieris consilia intervertit, quae ad auctoritatem Ariminensis Concilii revocandam, et ad haereticorum conventus in aliqua Mediolanensi Basilica constituendos spectabant.

§. XV.

In Orientali ditione.

At longe alia Orientalis Imperii facies: Valens enim, quem anno 364. Valentinianus frater, Reipublicae Moderatorem et orientalibus Provinciis Rectorem dederat, Anomaeorum sectae non modo se totum, sed (quod perpetuo execramur) Catholicorum vitam omni aerumnarum genere pene confectam, crudeli neci devovebat. Hic, non animis excidentes Eusebius Samosatenus, Basilius Caesariensis et Gregorius Nazianzenus, consociatis studiis, scriptis adhibitis, omnique ope instructa, quae Arianos tanto fretos praesidio posset submovere, in acie strenue admodum nobiliterque versati, superiores discesserunt. Quo turbido tempore, cum inter utramque partem dimicaretur, mirabitur quispiam fortasse, tutum in Alexandrina sede fuisse Athanasium; noverit vero, ab optima Alexandrinorum voluntate

qui conflata seditione, sanctissimi Pastoris incolumitatem quaesiverant, potiusquam a Valente injurias fuisse prohibitas (240). Extincto, horribili funere, Valente, cum annus ageretur 378. Catholicorum res instaurabant Gratianus, et Theodosius Magnus, quem ille orientalibus provinciis praefecerat, et post mortem Valentiniani III. occidentales Principem suum salutabant. Ab hujus clementia vocatus Constantinopolim Gregorius Nazianzenus, translatae ad Catholicos Sedes, in quas Ariani se immiserant, severis gravibusque legibus Theodosiano Codici consignatis, Nicaenae synodi auctoritas confirmata.

§. XVI.

Ariana haeresis in Occidentali Imperio.

Imperatoriis legibus exturbata haeresis, et Catholicorum Antistitum doctrina, exemplisque devicta, ad Gothos, Herulos, Swevos, Wandalos, Burgundiones, ac Langobardos confugit ibique diutius permansit. Eandem, Valentis aetate ab Ulphila acceptam, Gothi in regiones omnes, quas obierunt, Italiam, Gallias, et Hispaniam intulerant, idque factum est etiam ab Alanis, Swevis, et Wandalis, qui in Gallias primo, deinde in Hispaniam et

(240) Praeter Nicaenam fidem Monachos praesertim insectabatur Valens, quod persecutionis genus ceteris etiam comune fuit haereticis. Cff. Hieronymus in Chronico juxta edit. alias cit. Vallarsii, et Paulus Orosius.

Africam se se effuderant. Postea Justinianus, qui sexto saeculo Africam a Wandalis, et Italiam a Gothis liberaverat, Arianam fortunam prostravit, quam Wisigothi e contra Hispaniarum reges usque ad Leowigildum tueri non destiterunt, Christiano interdum sanguine polluti. Leowigildo an. 586. vivis adempto, Recaredus filius (241) a Leandro Hispalensium Pontifice ad Catholicam fidem adductus, non Wisigothos modo Hispaniarum incolas, sed populos quoque Narbonensis provinciae ab Ariana pertinacia deflexit (242), quam Swevi etiam in Gallicia degentes, et a Leowigildo in Wisigothorum potestatem redacti abjecerunt (243). Eundem finem consiliis et opera Aviti Episcopi Viennensis habuit VI. saeculo Burgundionum defectio, quae a Clodovaei aetate fortasse inceperat: eundem habuit denique Arianus Langobardorum error, quem cum ante eorum adventum in Italiam ab Authario Rege suscepissent,

(241) Et Ermenegildi martyris germanus frater.

(242) Cff. Joannes Biclariensis Abbas postea Gerundensis Episcopus in chronico ab anno 565 ad 590. ext. cum chronic. Eusebii edit. a Scaligero Amstelodami 1658. extat etiam in monumentis ecclesiasticis sive in lectionibus antiquis Henrici Canisii cum animadversionibus Jacobi Basnage Tom. I. pag. 337. Amstelodami apud Wetstenios 1725; nec non T. III. Concil. Hispaniae Card. de Aguirre pag. 311. Romae 1753. et alibi. Gregorius Turonensis lib. 9. cap. 15. Gregorius M. lib. 3. dialog. c. 31. Acta syn. Tolet. III. sub Recaredo habitae an. 589. et Pagi ad an. 588.

(243) Sub Theodimiro rege, miraculorum Martini Turonensis ope, et Martini Drumiensis laboribus. Vid. Greg. Turonen. lib. I. de miraculis S. Martini cap. 11.

sub Agilulpho, qui ad Theodelinde uxoris exemplum Catholicus evaserat, et ipsi ejurarunt.

§. XVII.

Aliae saeculi IV. haereses. Photinus.

Contentionis aestu Arianae haeresis, vel propugnatores, vel hostes eo abrepti sunt, ut alia monstra progignerent: illi impietatem ipsam novo acumine superando: hi dum longius declinarent in absurda non minus ac perversa placita delabentes. Prioris generis extitit Photinus Sirmiensium Antistes, qui ab Ariana, et a Catholica sententia recedens, commentum suum anno 343. evulgare coepit, duplicem erroris cardinem ponens. Primo enim Sabellio subscribens, et solitarium Deum cum Judaeis reputans, omnem sustulit personarum distinctionem, ratus totidem Patris operationes illarum nominibus designari. Christum deinde ex Maria et Spiritu Sancto hominem natum quadam superna emissione, quam Verbum Dei appellabat, Divinae conjunctum fuisse naturae existimavit. Tanta hominis insanientis libido tum Catholicis, tum Arianis ipsis intollerabilis fuit, qui eam, Sirmii conventu adhibito anno 351, damnatione coercuerunt: ipse ab Episcopali apice in exilium dejectus spiritum reddidit anno 372. et ab ejus obitu haeresis adeo concidit, ut sub exitu saeculi V. sectatorem nullum habuerit (244).

(244) Vid. Vincentius Lirinensis in common. c. 26. et Socrates Hist. Eccl. lib. 2. c. 15. Photinus eruditus ac eloquens erat.

§. XVIII.

Macedonius.

Hic inter Semi-Arianos longe excelluit. Macedonius Episcopatu detrusus ab Eunomii discipulis, et exilio affectus Spiritum Sanctum Divinae naturae, divinique cultus consortem est inficiatus, vim quandam supernumque eidem tribuens ministerium (245). Hisce erroribus praeluserant Arianae haeresis Magistri, Eunomius aliique ab Athanasio Alexandrino et Basilio refutati, quorum prior epistolis ad Serapionem, et concilio Alexandriae celebrato, alter confecto ad Amphilochium libro, aliisque operibus editis in novam impietatem animadverterunt, quorum egregia in rem Christianam studia Synodus II. Oecumenica Constantinopoli coacta anno 381. probavit, suisque suffragiis est prosequuta (246).

§. XIX.

Apollinaris.

Hoc Apollinariana haeresis praestituit, Christi corpus humana expers anima, a Divina natura informatum esse; temperantius deinde non totam

(245) Unde πνευματόμαχοι dicti sunt ejus discipuli Spiritus Sancti divinitatem impugnantes.

(246) Cff. Socrates lib. 2. c. 9. 12. 30. et 33. lib. 3. c. 6. Theodoretus Hist. Eccl. lib. 2. c. 22. lib. 5. c. 11.

Christo animam denegavit, sed eam tantummodo quam Philosophi *rationalem* dicunt, et quam mens Divina suppleret: intolleranda prorsus insania, quae, ut pulchre adnotat Augustinus, Christo humanam animam eripiens, pecuinam tribuebat. Aliud vix credibile commentum SS. Ecclesiae Patres Apollinaristis Valentinianorum errores mutuantibus exprobrarunt, carnem scilicet Christi Divinam, et de caelo delapsam, in quam pars aliqua verbi conversa fuisset. Sed et vitium in Trinitatis Fidem Apollinari objecerunt, qui similitudine splendoris, radii, et solis abutens, Mysterium illud Sabelliano sensu explicare, vel potius evertere conaretur. Haec edocebat saeculo IV. inclinante Apollinaris Laodicaenorum Antistes, externa pietatis specie, scriptisque editis commendatus, ea tamen simulatione, ut ad Athanasii judicium, tamquam Catholicae Fidei oppugnator adductus, damnatione evaserit. Hanc vero, insolentior factus, et perfidiae adhuc obtectae declarator una cum Timotheo discipulo suo effugere non potuit Romae, qua in civitate Damasus Pontifex Maximus efflagitatu Basilii Caesareensis occidentales Episcopos in eam rem convocarat. Romanae sententiae subscribentibus Orientalibus supra 150. Episcopis in Synodum Antiochiae coactis, is prodiit Ecclesiae consensus, ea vox insonuit, qua vir quantalibet contumacia furens elatos spiritus cohibere debuisset: hosce Apollinaris moriens paullo ante annum 391. amisit. Fracta ob ejus interitum

factio, Principum, et Conciliorum decretis profligata, nullique doctrinae soliditati innixa, multum ad memoriae detestationem, nihil ad sui praesidium reliquit (247).

§. XX.

Saeculo V. Nestorius.

—

Hisce initia nomenque fecit saec. V. Nestorius obscuro Syriae oppido natus, auditor Theodori Mopsuesteni, facundia pollens, leviter doctus, animi turbidus, versutissimus. Copulationem utriusque in Christo Naturae non hypostaticam, sed moralem intelligi voluit, et Personas duplicans, improprium habuit Mariae nomen *Theotocon*, quam Christiparam (248), hominisque matrem appellandam esse existimavit. Erroris praecones adhibuit Dorotheum quemdam et Anastasium, alterum Pontificali, alterum Sacerdotali munere fungentes, sociosque paravit quam plurimos ut Catholicis, Eusebio Dorylaeae praesertim, Proclo Cyziceno, et Monachis regiae Urbis qui ejus conatibus obviam ierant, par esse posset. Ad haec scriptis doctrinam suam commendans, homilias nonnullas, et de Incarnatione Tractatum dedit ad Ægyptios Monachos, plures admodum falsi nominis scientia decepturus,

(247) Vidd. Joannes Damascenus de Haeresibus pag. 301. monumentor. Ecclesiae Graecae per Cotelerium al. cit. et Natalis Alexander T. IV. Hist. Eccl. p. 274. edit. Lucae 1750.

(248) χριστοτόκον ac ανθρωποτόκον non θεοτόκον.

nisi Cyrillus Alexandrinorum Patriarcha, maxima illius belli pars, Catholicae veritatis germanaeque doctrinae arma in acerbissimum hostem intendisset. Nec vero, quae obfirmatum pertinacemque animum expugnare solent, prudentiae ac mansuetudinis arma praetermisit, sanctimonia aeque ac sapientia insignis Cyrillus, sed literis omni humanitate plenis, impensisque adhortationibus Nestorium ad meliorem mentem revocare studuit: irrito prorsus sibique infesto labore, cum impacta concitae seditionis, divexatique Ægypti calumnia, contumeliosae epistolae, aliaque irati, tumentisque animi indicia, pio amantissimoque officio responderent.

§. XXI.

Illius vices et fata.

Sentiens itaque Cyrillus neque privatis officiis, neque evulgatis scriptis quidquam se apud hominem secunda fortuna sublatum profecisse, Nestorianam perfidiam, perpetrataque in Ecclesiam damna ad Caelestinum Pontificem expostulat, qui anno 430. Romae Synodum jubet, Nestorium sacris comunibus, graduque Episcopali amotum pronunciat, nisi intra lucem ab indicta sententia decimam, errores suos scripto revocaret, Cyrillum judicii exsequutorem adhibet, eique mandat, ut Pastore suo destitutae Constantinopolitanae Cathedrae per novam electionem consulat. Porro cavens Cyrillus, ne

exoptata vaferrimi hominis vel submissio vel ejuratio ambiguitatibus et cavillationibus implicaretur, habito anno 430. Alexandriae Episcoporum conventu, Synodicam Epistolam, et Caelestini literas ad Nestorium mittit, necnon et duodecim anathematismos, expressam nempe, cui subscriberet, controversae adhuc Fidei professionem; quibus respondet Nestorius, totidem Anathematismos in Cyrillum retorquens, eumque Apollinarianae haeresis incusans. Quapropter Oecumenicum Concilium anno 431. Ephesi celebratum, ut ingravescentibus malis occurreret, Nestorium nova damnatione percellit, suffectoque in ejus sedem Maximiano, ab Episcopali Sede ablegat, qui exsul vitam cum morte commutavit (249).

(249) Gravissimum Patrum judicium turbas cohibere non potuit, quas Orientales Episcopi conciverant. Hi enim Ephesino coetu non adhuc dimisso Concilium nefarium, duce Joanne Antiocheno, conflaverant, insontem Nestorium, Cyrilli anathematismos Apollinariana labe maculatos pronunciando, easdemque poenas in strenuum veritatis adsertorem, et in Memnonem Ephesinum refigendo, quibus hi contra Nestorium usi fuerant. Bellum igitur a Nestorio commotum, ab Orientalibus postea est confirmatum, a Joanne praesertim Antiocheno et Theodoreto Cyrensi Episcopo, qui virum suum in opere de Incarnatione et Ephesina synodo adversus Cyrillum evomuere. Fuit equidem concordiae imago inter Cyrillum et Joannem, sed instabilis et fluxa, neque ad Orientales continendos satis efficax, qui profusis in vulgus Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuesteni scriptis iisdemque Syro, Armeno, et Persico idiomate redditis, Nestorianae sectae, quae in Auctoris fatum minime concesserat, ardentes faces diutius ministrarunt. Vidd. Joan. Garnerius in tribus dissertationibus 1. de haeresi et libris Nestorii; 2. de synodis in causa Nestoriana habitis;

§. XXII.

De Eutychete. De Latrocinio Ephesino, et Chalcedonensi Concilio.

Nestorianae haeresis reliquias dum acriter persequeretur, V. saeculo Eutyches in celebri regiae urbis Monasterio Archimandrita, senectute provectus, literarum tiro, vitia in contraria cucurrit, et naturarum unitatem in Christo, permixtionem videlicet earum, quas ante *adunationem* duplices fatebatur, edocuit. Obvium habuit, diuturna licet familiaritate sibi conjunctum Eusebium Episcopum Doryleensem, qui privatis amicisque literis eum ab incaepto abducere studuit, et cum id frustra fuisset, impiam nullo officio nullisque praecibus flexibilem pertinaciam ad Flavianum detulit Constantinopolitanae Ecclesiae Moderatorem, a quo Episcopis aliis convenientibus, anno 449. Eutyches sententiae pertinax damnatus, et Sacerdotio privatus fuit. Ab hoc judicio Eutyches ad supremam Ro-

3. de libris a defensoribus fidei eodem tempore conscriptis, extant ad calcem opp. Marii Mercatoris pag. 283. partis posterioris. Parisiis 1673. Ludovicus Doucin in - histoire du Nestorianisme - Paris 1699. Josephus Simonius Assemanus in diss. *de Syris Nestorianis* ext. T. III. part 2. pag. 1. Bibliothecae Orientalis. Cf. etiam Hoffmannus *in defensione dissertationis* de controversia Nestoriana Lipsiae 1730. quam edidit contra Martinum Veyssiere Lacroze in ep. ad Jablonskium asserentem Nestorianam controversiam olim agitatam logomachiam fuisse.

mani Pontificis Leonis Magni auctoritatem provocat, probataque Flaviani sententia, novo ictu propellitur. Quare ad injurias et ad malas Dioscori Alexandrini artes confugit, et in Concilio anno 449. Ephesi coacto, (cujus *latrocinale* nomen immortalem prodit infamiam), Praeside eodem Dioscoro, vi legum compressa, loci dignitate violata, ab armato caetu Orthodoxus conclamatus, in pristinum restituitur, Flavianus vero, Eusebius, aliique Episcopali officio depelluntur. Licet autem toto adnisus sit homine Leo, ut ad Catholicae veritatis patrocinium Theodosium II. et Pulcheriam Augg. permoveret, et celebris ejus epistola ad Flavianum nullum exitum Eutychiano errori relinquere videretur, haec attamen omnia nihil profecere, donec sollemnis alia auctoritas in rei Christianae subsidium peteretur, Oecumenicum scilicet Chalcedonense Concilium per Marcianum Caesarem anno 457. congregatum, a quo novum stigma Eutychianae haeresi impressum, repudiatus Dioscorus, et in Paphlagoniam pulsus, suscepta veluti Fidei norma Leonis Epistola, quae unam Christi personam duabus nullo pacto confusis aut permixitis naturis constantem proclamabat.

§. XXIII.

Eutychiani post Concilium Chalcedonense.

—

Verum hisce praeclare vel actis vel scriptis factio ad silentium minime redacta est: fremitus im-

mo renuentium Monophysitarum obortus, conjectum a Monachis quibusdam in Synodum Chalcedonensem proditae Fidei crimen, editae alicubi repentino seditiones et turbae. In Palaestina, secunda Eudoxia Theodosii junioris vidua Hierosolimytanum thronum, detruso Juvenali, famigeratissimo Theodosio adjudicant; Alexandrinum gregem Proterio creditum, invadit Timotheus Aelurus, et huic obstantibus Catholicis, invadit Petrus Moggus, ejecto Joanne Thalaja rite consecrato. Ad Syros interea migrabat haeresis a Barsuma propagata, necnon et ad finitimos Armeniae populos, variis tamen vicibus, cum a Syris repudiata, a Zenone Imperatore, et ab Acacio Constantinopolitano Antistite reponeretur: facta etiam erroris ipsius immutatione, qui absorptam a Divina humanam Christi naturam antea effingens duplicem postea naturam atque compositam asseruit.

§. XXIV.

Zenonis Henoticon.

—

Nomen *henoticon* adepta est ea Fidei formula, quam Zeno Imperator concordiae studens anno 482, Acacio vel suadente vel dictante condidit, et ad universum clerum Ægypti, Libiae, et Pentapolis mittendam curavit. Commendata Nicaeni Symboli decreta, probatus Cyrillus, damnatique Nestorius et Eutyches; suprema haec fuerunt illius formulae Capita. Quae vero cum de una, aut duplici in Christo

natura, et de Chalcedonensi Concilio omnino sileret Zenoni equidem satis esse, et Acacio, Petro Moggo, et Petro Gnaphaeo placere potuit, in animos tamen Catholicorum induci non potuit; immo, Eutychianis plerisque varias in sectas abeuntibus in contemptum venit, et quae tranquillitati materiem praebere debebat, ea discordiarum origo et fons extitit (250).

§. XXV.

Monothelitae appendix Monophysitarum saeculo VII.

Ea Saec. VII. fuit Heraclii mens, ut Monophysitarum factionem cum sacri civilisque imperii tranquillitate conciliaret; periculosum tamen con-

(250) Rejecit Henoticon Felix III. tanquam injuriam Chalcedonensi synodo inlatam, et per legatos Constantinopolim missos Moggum jussit Alexandrinam sedem relinquere, Acacium ad causam dicendam Romae adesse. Sed contra votum, immo contra optimi Principis expectationem res cessit, comprehensis ibidem legatis, in carcerem detruduntur, et in Moggi comunionem et obsequium pertrahuntur. Haec vix cognovit Romanus Pontifex tum legatis, munus omne ac comunionem ademit, tum Acacio, qui vesano furore ideo correptus Felicis nomen e sacris dypticis abrasit. Neque a seductoris illius morte quieverunt dissidia, quae posteriori aevo viguerunt, finem dumtaxat sortita cum sedentibus anno 512. Joanne II., Romae Hormisda, imperante Justino sua Chalcedonensi concilio auctoritas constitit, Acacii et Fullonis nomina e sacris dypticis deleta, eorumque infamia memoriae sempiternae tradita. Vidd. Theodorus Althusius in historia Eutychiana edita Lipsiae 1659. Natalis Alexander in Hist. Eccl. praesertim in diss. XVIII. saeculi V. pag. 287. T. V. edit. Lucensis al. cit. ubi de Henotico Zenonis, et Cacciarius in historia Eutychiana pag. 316. exercitat. in universa S. Leonis Magni opera. Romae 1751.

silium, et audax, quo ex demissa haeresi nova item perniciosissima excitaretur, et fallacia alia, aliam truderet: tum enim discordiarum finem adesse putabat Heraclius, si medio inter Catholicos et Monophysitas tramite distinctae quidem naturae in Christo, at una tantum voluntas, una voluntatis operatio praedicarentur. Res cum Sergio Constantinopolitano Episcopo ante collata, Imperatorio Edicto, veluti Fidei norma praescripta est anno 630, et a Sergio, ab Athanasio Jacobitarum (251) Patriarcha, a Cyro, Phaside, aliisque multis suscepta. Synodus autem Alexandriae per Cyrum anno 633. congregata, novem Capitula cum Anathematismis plurimis digessit, Theodosianis haereticis concordiam suadens unamque Christi theandricam operationem capite septimo asserens (252).

§. XXVI.

De Sophornio et Honorio.

Habuit ea tempestate Alexandrina civitas quem Cyri conatibus opponeret, doctrina vitaeque sanctimonia spectabilem Sophronium, Hierosolymorum Pontificatu anno 633. donatum. Ab eo celebrata Sy-

(251) Consulendus Josephus Abudacni in - historia Jacobitarum seu Coptorum etc. - cum notis Joannis Nicolai, et edita a Sigeberto Havercampo Lugduni Batav. 1740.

(252) Vid. Christianus Lupus in diss. de VI. synodo, ext. T. III. opp. jam cit.

nodus, haeresis, quae duplicem in Christo voluntatem inficiabatur, expugnata, et per Stephanum Dorensem Honorius Papa de omnibus certior factus. Qui vero Sergii dolis et fraudibus implexus, et veritus ne aliqua pugnantium inter se voluntatum suspicio oriretur, unam in Christo voluntatem hoc pacto habendam, et nullam praeterea hac de re quaestionem esse submovendam, vir pacis desiderio flagrans constituit (253).

§. XXVII.

Heraclius, et Constantius.

Eadem haereticorum circumventio Heraclium transversum egit, qui anno 639. Fidei formulam, ut vocari coepit, Ecthesin, a Sergio confectam, perpetui in ea quaestione silentii, uniusque in Christo voluntatis obfirmatricem promulgavit, adstipulatores nactus Pyrrhum, qui anno 639. Constantinopolitanam sedem post Sergium incesserat, et Cyrum Alexandrinum. Obvium habuit anno 640. Jannem IV. totius Ecclesiae Rectorem, qui abolitionem formulae apud Pyrrhum urgebat, et cum in magnam invidiam ideo adduci sentiret conscriptae a se Ecthesis, suspicionem per litteras ad Joannem diluit, opusque auctori Sergio reddidit, unde Sergii Ecthesis jam tum nuncupata est. Inde sopita quievit haeresis,

(253) Recolantur quae in nostra sup. nota (169) ad rem retulimus.

sed eam iterum excitabat iniqua Constantis II. voluntas, fovebant infesta Pauli consilia, qui detruso Pyrrho, se se in Constantinopolitanam Sedem injecerat. Plures pro Ecclesia Dei virtute doctrinaque instructi in aciem prodiere, quos inter effulsit Maximus vir egregiis litteris, pietate singulari, spendido, quem tulit in Arabia anno 645. celeberrimoque triumpho, haeresi nempe a Pyrrho ejurata, illustris, quem posterior inconstantis variique hominis defectio, jussaque a Theodoro Papa depositio nullatenus minuunt.

§. XXVIII.

Damnantur a Romano Concilio sub Martino I.

At silentium, quod quaestioni dabatur, cum una tam aperte ab haereticis Christi voluntas praedicaretur, non procul ab impietate turpique conniventia abesse visum est, illudque rupit Martinus hujusce nominis primus, Theodori in Apostolica Sede successor cum anno 649. per Concilium Episcoporum 105. Romae convocatum in Heraclii vel Sergii Ecthesin, in *typum* Constantis, et in Theodorum Pharanitem, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrum, Paulum, aliosque ex eadem faece bene multos sententiam pronunciavit. Male equidem crudeliterque mulctatus quippe qui Imperatoris furorem offendens, a Theodoro, ut vulgo apellatur, Calliopa Exarcha anno 653. comprehensus, et Chersonam

postea deportatus aegerrimam vitam acerba morte confectam transegerit (254).

§. XXIX.

Aliae hujus periodi haereses.

Aliae ad hanc Ecclesiasticae historiae periodum pertinent haereses. Audianorum, qui Audio duce (255) ea Scripturae verba, quibus homo dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei, referenda ad corpus arbitrabantur (256); Helvidianorum ab Helvidio (257) perpetuam Mariae virginitatem denegante, Photini (258) unicam in divinitate personam esse edocentis, quam λογον dicebat, Joviniani (259) nuptias virginitati quoad meritum exaequantis, noxarumque distinctionem auferentis (260); Vigilantii qui omnem sacrarum imaginum cultum Idololatrico vertebat ritui (261). Sed prae caeteris

(254) Vid. de Ecthesi Heraclii, Natalis Alexander T. V. Hist. Eccl. edit. cit. pag. 536. et seqq.

(255) sive Audaeo unde Audaeanorum secta dicitur.

(256) Deo ἀνθρωπειαν μορφην tribuebant. Dicti sunt etiam Antropomorphitae. Vid. Epiphanius haeresi 70. pag. 290. T. II. opp. edit. a Petavio.

(257) Cff. Gennadius de vir. illustr. c. 32. Hieronymus ep. 50. ad Pammach. c. 7. et Augustinus de haeres. cap. 84.

(258) Natione Galatae, discipuli Marcelli Ancyrani Episcopi, et ob eruditionem et eloquentiam Episcopi Sirmiensis renunciati.

(259) *Christianorum Epicuri* a Hieronymo appellati.

(260) Vid. Hieronymus in libb. adv. Jovinianum.

(261) Vigilantium acriter impugnavit Hieronymus. Hisce sectis

Occidentales plagas turbarunt hac Periodo Pelagiani. Parentem sequuntur Pelagium Monachum Britannum, in cujus disciplinam set radidit Caelestius vir nobilis, a quo Pelagiani dicti sunt etiam Caelestiani. Hi primum Romae, dein in Sicilia, in Africa tandem haeresim disseminare coeperunt, quoad peccatum originis et divinam gratiam (262).

§. XXX.

Pelagianorum scita.

Pelagianorum dogmata praecipua. Denegabant originalis peccati transfusionem in posteros, unde concludebant mortem non tribuendam peccato Adae, sed naturae humanae conditioni, quam Protoparentes etiam insontes tulissent; ignaviam, pravamque libidinem non esse peccati poenam, sed ingenitas naturae proprietates, neque aeterno supplicio mulctandos pueros, ex hac vita absque baptismo migrantes. Hinc nullum in humana natura vulnus agnoscentes, eam extollendam curarunt, adeo ut ad supernaturalia opera patranda divinae gratiae ne-

addenda ea quae Collyridianorum dicitur, et ex mulieribus tantum in Arabia conflata. Mariam Virginem ut Deum adorabant, eique quotannis placentam panis (κολλυρις) offerebant. Cf. Epiph. haer. 79. pag. 554. edit. cit. Petavii T. II. et F. Münterus T. II. fasc. I. miscell. edit. Havniae 1821.

(262) Vid. al. cit. Cacciarius in libro *de Pelagiana haeresi S. Leonis M. aevo gliscente* pag. 284. exercit. in univ. S. Leonis M. opp.

cessitatem inficiarentur (263). Haec infausta haereticorum certamina aliis ortum dederunt. Hinc Adrumaetini motus, hinc Massiliensium in Gallia rumores, et Semi-pelagianorum familia, quibus omnibus Christi Ecclesia dilaniabatur (264). Adversarios autem strenuos nacti sunt, Augustinum, Prosperum Aquitanum, Hilarium aliosque. Notarunt Pelagianos apostolico stigmate Innocentius I. an. 417. et Zosimus an. 418. Semi-pelagianorum errores anathemate sunt perculsi ab Gelasio I. et tandem in Concil. Arausicano II., cujus decreta rata habuit Bonifacius II. Ex Pelagianis et Semi-pelagianis ortum habuere Praedestinatiani, qui ita praedestinationis dogma explicabant, ut homines improbi ad culpam et peccata (265) necessario compellerentur.

§. XXXI.

Iconoclastae.

—

Ecclesiae doctrinam de imaginibus retinendis venerandisque impugnarunt saec. VIII. qui Icono-

(263) Vidd. Berti T. III. Hist. Eccl. diss. 3. in saec. V. al. cit. et Augustinus.

(264) Vidd. de doctrina Semi-pelagianorum, Serry in hist. Congr. de Auxiliis lib. IV. c. 4. p. 494. edit. Antuerp. 1709. et Natalis ab Alex. Hist. Eccl. saec. V. diss. IV. ubi plura ad rem; Cf. Petavius in libro unico de Pelagianorum et Semi-pelagianorum historia.

(265) Sunt qui nunquam extitisse Praedestinatianos credant; tamen vidd. Prosper in chron. ad an. 23. Honorii, et Auctor Praedestinati a Sirmondo editus, nec non Spanhemius et Basnagius.

clastarum, seu Iconomachorum nomine veniunt. Leo Isaurus Orientis Imperator prae ceteris contra imaginum cultum egit, decreto edito an. 726. Ast Gregorius II. cultum imaginum confirmans, Leonem Imperatorem haereticum et impium dixit. Post haec, turbae excitatae, cultusque imaginum restitutus a Pontificibus, et confirmatus tandem in Concilio Nicaeno II. (266).

(266) Iconoclastarum origo repetenda ab Constantino Natoliae in Phrygia episcopo, cujus suasu Leo Isaurus anno 726. contra imaginum cultum legem tulit. Plura pro ss. imaginibus egerunt Gregorius II. et III. Vid. Anastasius. Leonem Isaurum a communione sacrorum exclusum fuisse a Gregorio II. et III. scriptores graeci tradunt, ab iisque Pontificibus Italos juratae fidei obsequio solutos, iidem testantur. Cff. Baronius et Sigonius. Haec vero impugnant Jo. Launoyus epist. L. VII. ep. 7. Natalis Alex. in selectis Hist. Eccl. capit. saec. VIII. diss. I. Petrus de Marca in concordia Sacerd. et imperii L. III. c. 11. Bossuetius in defensione decl. Cleri Gallicani de potest. eccl. P. I. L. VI. c. 12. alias cit.

CAPUT VII.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

SCRIPTORES LATINI.

§. I.

Arnobius.

Maxime contulit ad Ecclesiae doctrinam explicandam propugnandamque Latinorum scriptorum opera, quorum illustriores praesenti capite attingimus. Praecedit Arnobius Afer Christianae Fidei hostis jam antea infestus, in ejus obsequium postea devinctus, et lustralibus aquis ablutus, qui septem adversus Gentes Libris confectis, plures Deos, quos paganorum error conflaverat, non modo est inficiatus, sed Unum Deum, unamque Fidem, quam Catholica profitetur Ecclesia, et ipse aperte fatetur. Absona quaedam in dogmatibus exponendis, firmis testimoniis destituta, impolitoque stylo conspersa in ejus libris Eruditi deprehendunt (267).

(267) Arnobii opera praeter Faustum Sabaeum (Romae an. 1542.) et Salmasium (Lugd. Batavorum 1651.) edidit Lipsiae an. 1816. et 1817. Joannes Chr. Orellius. Vidd. de Arnobio Hieronymus de viris illustribus c. 79. et in chronico ad an. 327. juxta edit. Vallarsii, nec non Fabricius in Bibl. lat. L. IV. c. 3. pag. 289. Vol. II. Venetiis 1728.

§. II.

Caecilius Lactantius Firmianus.

Ab Italica Urbe ad fretum Adriaticum, quae *Fermo* appellatur, originem ac cognomentum habuit Caecilius Lactantius. Cum sese totum literis jam a puero addixisset a Diocletiano Caesare Nicomėdiam accitus, Rhetoricas ibidem edocuit disciplinas, et postea Constantini M. filium (268) imbuendum suscepit. Libris septem Institutionum Divinarum Christianae Religionis aeconomiam philosophis viris, et in libro de Opificio Dei, Divinae Sapientiae, Potentiae, ac Benignitatis attributa Demetriano Auditori luculenter suadet. Nil contra Deum induci, si impios hodio habeat, pios e contra paterna dilectione complectatur, adversus Epicuraeos et Stoicos contendit, persecutorum mortes ad Donatum Confessorem describit, et Symposium seu centum Epigrammata condit (269).

(268) Crispum in Gallia.

(269) Hujus elegantissimi Scriptoris opera pluries edita sunt Caesenae ann. 1646. cum notis variorum studio Servatii Gallaei, Lugd. Batav. 1660; Cantabrigiae 1685; Lipsiae 1739. per Bünemann; illustrata a Joanne Bapt. Le Brun, et Nicolao Lenglet du Fresnoy, Lutetiae Parisior. 1748. Romae 1754-1759. dissertationibus, et adnotationibus illustrata ab Eduardo a S. Xaverio (*Franceschini*). Libri autem de mortibus persecutorum editiones praecipuas habes a Balutio Trajecti ad Rhenum 1693. et ab Nicolao Le Nourry Parisiis 1710.

§. III.

Juvencus.

Generis nobilitate excelluit Juvencus hispanus Presbyter (270), qui Evangelicae historiae libros quatuor hexametris carminibus consignans, singularem laudem ab argumenti novitate, magisquam a poetica facultate adeptus est. Matthaeo praesertim inhaerens aliorum quoque Evangelistarum rationem habuit (271).

§. IV.

Julius Firmicus Maternus.

Eadem aetas tulit Julium Firmicum Maternum, cujus patria et conditio ignotae sunt; praeclara autem fama, Libro de Errore profanarum religionum, sibi comparata; mira enim soliditate Constantio, et Constanti Augustis Christianae veritatis causam, sacrorumque Gentilium abrogationem commendat, eaque eruditione et eloquentia, ut opus singulare pluribus in rem eandem tunc editis aequipollere ac praestare videatur (272).

(270) Floruit anno circiter 330. Vid. Hieronymus c. 84. de viris illustribus, ejus nomen erat Aquilinus, Cajus, Vettius, Juvencus.

(271) Varias Juvenci editiones enumerat Joannes Albertus Fabricius in Bibl. Lat. Vol. II. lib. IV. c. 2. pag. 235. edit. cit. nos eam proponimus quam publici juris fecit Faustinus Arevalus ad MSS. codices Vaticanos, aliosque recensitam, Romae 1792.

(272) Julii Firmici Materni cit. librum, primum edidit Argen-

§. V.

Optatus.

Venerabilis memoriae Episcopum Augustinus, virumque omnino Sanctum Fulgentius Antistes Ruspensis, jure meritoque appellant Optatum Afrum, pereximio sane testimonio illius pietatem comprobantes, quae in Milevitana Ecclesia regenda enituit, constantemque illius in Christianis tuendis solertiam, quam Donatistae prae caeteris sunt experti. Horum schisma exoriens, tum progrediens, horum pertinacia atque astutia Libris VII. adversus Parmenianum (273) distincte, erudite, temperantissimeque explicantur.

§. VI.

Damasus Rom. Pont.

Illustrat quoque Hispaniam Damasus Presbyter, et post obitum Liberii Romanae Catholicae Ec-

torati anno 1562. Mathias Flaccius ex MS. cod. Mindensi. Alias editiones videsis apud Jo. Alb. Fabricium in Bibl. lat. lib. III. c. 8. Vol. II. pag. 70.

(273) Vid. editio Antuerp. 1782. ubi libris VII. de schismate Donatistarum accedunt Historia Donatistarum una cum monumentis veteribus ad eam spectantibus, nec non Geographia Episcopalis Africae, ac notae Gab. Albaspinaei Mer., Casauboni, Gasp. Barthii et aliorum, omnia studio et opera Ludovici Ell. Dupinii. Cf. Fabricius in Bibl. lat. j. c.

clesiae Antistes, qui ligata oratione Christianorum gesta et sacra, eademque, Epistolis duodecim celebravit, celebratus et ipse ob carmina, quae vetustas Romanae Urbis Basilicas nunc etiam exornant (274).

§. VII.

Hilarius Pictaviensis.

Hilarius Pictaviensis Gallus litterarum studiis, ethnicis simul erroribus a puero imbutus, cum pristinam superstitionem una cum uxore et filia abjecisset, omnem, qua pollebat, eloquentiae vim ad Christianam veritatem convertit, eaque praebuit zeli constantiaeque indicia, ut Pictaviensis Ecclesia ei regenda anno circiter 350. traderetur. Hic illi cum Ariana factione decertandum fuit, sincera Fides apud Constantium Caesarem Arianis studentem, dato Libello, vehementer propugnanda; ac postea Ursacii et Valentis machinationibus immeriti exilii paena subeunda. Nil tamen calamitatibus, nil Ecclesiae hostibus, quos in sedem restitutus pressius

(274) S. Damasi Papae opera quae extant, et vitam ex codd. MSS. cum notis Martii Milesii Sarazanii J. C. Romani, edidit Federicus Vbaldinus Romae typis Vaticanis an. 1638. Ejusdem Damasi opuscula et gesta ab Ant. M. Merenda edita sunt Romae 1754. quibus accedunt diatribae duae, altera de gestis Liberii exulis, altera an Damasus faverit aliquando Maximo Cynico adv. Greg. Nazianz. et Nectarium. Vid. nostra not. sup. (57) pag. 114. Damasum, Romanum fuisse docent Tillemontius et Merenda; hispanum Franciscus Perez.

urgere non destitit, Confessor praeclarissimus cessit. (275).

§. VIII.

Ambrosius.

Augustae Trevirorum natus anno circit. 340., et liberalibus disciplinis eruditus, in foro primum et in Liguriae deinde ac Æmiliae praefectura versatus est Ambrosius. Sed clarissima ingenii lumina, eximiaeque animi dotes meliorem sane provinciam postulare videbantur, et in regimine Mediolanensis Ecclesiae, ad quam, Arianis licet invitis, est evectus, sese mirum in modum explicuere. Quae in eo esset doctrinae copia ac soliditas, vulgatissima scriptorum monumenta testantur; senserunt vero prae omnibus Arianorum, Jovinianorum, et Apollinaristarum Sectae inde perstrictae, inde concussae: quae fuerit morum sanctimonia, et austeritas, profusa erga omnes charitas, indefessa concrediti gregis sollicitudo, Mediolanensis cum Catholica Ecclesia adhuc praedicat: quae effulserit tandem rei Christianae tuendae constantia invictaque animi magnitudo, tum Symmachus Romae Praefectus

(275) Peculiari mentione digna sunt ex illius scriptis, commentarii in Psalmos et in Matthaeum, libri XII. de Trinitate, de synodis seu de fide Orientalium, ad Constantium contra Auxentium, et responsa Apologetica. Opera omnia ediderunt Monachi Maurini Parisiis 1693. et Scipio Maffejus Veronae 1730. Vita ex ipsius scriptis et veterum testimoniis collecta ext. pag. LXXXIV. edit. Paris. cit.

et gentilibus sacris instaurandis deterritus, tum Theodosius Imperator persensit, qui Thessalonicensium caede, pollutus, non gravissimis modo literis redargutus est, sed Templi Mediolanensis aditu, sacrisque communibus prohibitus. Verum omnium meritorum instar Augustinus a Manichaeorum erroribus, ad rectissimum Fidei sensum revocatus incomparabilem Ambrosii virtutem ac praestantiam commendat (276).

§. IX.

Hieronymus.

Praefulget inter latinos ejusdem aetatis Scriptores, spectatissimum Ecclesiae lumen Hieronymus, qui Patriam Stridonis oppidum Dalmatiae confine, parentes Christianos habuit. Ingenio singulari amaeniores literas hebraicas, graecas, latinas, Theologicas, philosophicas, ac liberaliores disciplinas omnes, necnon et Gallias, Thraciam, pluresque Asiae provincias itineribus suis complexus, et quatuor annis in solitudine Syriae transactis, a Paullino Antiocheno Antistite Sacerdotali Ordini adscriptus, anno 382. Romam se contulit, ubi ab

(276) « Venit (*hisce ferme verbis loquitur Augustinus lib.* 5. *c.* 13. *Confess.*) Mediolanum ad Ambrosium episcopum in omnibus notum orbi terrae pium cultorem Dei, cujus eloquia adipem frumenti ministrabant. Ad eum autem ducebatur nesciens, ut per eum ad Dominum duceretur sciens » S. Ambrosii operum editionem praestantissimam dederunt Benedictini Maurini Parisiis 1686-1690.

Epistolis Damasi Pontificis, incredibili apud omnes laude floruit. Quam vero laudem, cum varii invidiae motus, mortuo Damaso, excepissent; obitis sanctissimis Palaestinae plagis, amicam repetiit solitudinem, vitaeque reliquum in Bethlehemitico secessu pietatis opera, durosque paenitentiae labores eruditis exercitationibus jungens, ad extremam senectutem perduxit. Eximia studia in latinam Bibliorum versionem a Hieronymo accepta refert Ecclesia, quae de pluribus Sacris Libris inlustratis, et eruditissimis Commentariis editis item gloriatur. Apologeticae, et Polemicae Theologiae specimen habemus in Libris II. de Virginitate (277).

§. X.

Augustinus.

Eruditionis copia Hieronymo concedit Aurelius Augustinus, Divino prorsus munere Ecclesiae impertitus, sed ingenii acie longe praestat. Patricio Ethnico, et Monnica Christiana parentibus ortus, literis permultis oratoriae, praecipue facultati, et (quod perpetui angoris ei causa fuit) vitiorum illecebris adolescentiam dedit, ita autem, ut nihil (278)

(277) Universa Hieronymi opera ediderunt Maurini Patres Parisiis an. 1693-1706. Praestantiorem Maurina dederunt editionem Scipio Maffejus, et Dominicus Vallarsius, Veronae 1734-1742. et Venetiis an. 1766-1772.

(278) Quod ipse fatetur lib. 2. c. 2. Confess.

eum delectaret, nisi amare et amari, et serenitas dilectionis a caligine libidinis non discerneretur. Adolescens item peregrinatus est studiorum causa cum non satageret pater (279) qualis cresceret Deo dummodo esset disertus, atque ita desertus a cultura Dei. Intuitus est fora litigiosa (280) eo laudabilior quo fraudulentior. Annos natus ferme viginti (281) Aristotelicas decem Categorias legit solus et intellexit. Quod vero perpetuo ac prae omnibus dolendum, non exiguam vitae partem Manichaeorum sectae tribuit, eorumque deceptionibus, in quas homines quoque nonnullos sibique necessitudine conjunctos, tristi sane amicitiae officio pertraxit. Neque interea literas dimiserat, quas Carthagine, Romae, ac Mediolani magna cum eloquentiae laude est professus. Carthagine adscitus Fausto Manichaeorum Episcopo, ejusque familiaritate usus, omnis conatus (282) quo proficere in ea secta statuerat, illo homine cognito, prorsus intercidit, atque ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis extitit, laqueum, quo Augustinus capiebatur, relaxare caepit nec volens nec sciens. Mediolani denique melior eloquentia ex Ambrosii ore, uberrimo tamquam e fonte defluens, Christianaeque veritati famulans animum Augustini permovit. Qui vero

(279) Ibid. c. 3.
(280) Ibid. lib. 3. c. 3.
(281) Ibid. lib. 4. c. 16.
(282) Ibid. lib. 5. c. 3.

cum adhuc prava consuetudine detineretur, inquietoque corde ferretur ad Deum, incidens in Paullianum illud effatum, quo induere Dominum J. C. (*Rom.* 13. 14.) nullamque carnis curam in desideriis facere praecipimur, nube illico omni disjecta ad Catholicae veritatis lucem, mutatione dexterae Excelsi se traductum sensit. Lustralibus aquis ablutus anno 386. aetatis vero suae trigesimo tertio, in hoc, omni cogitatione curaque incumbit, ut novum omnino hominem vel caecutientibus internoscendum, inimicis ipsis probabilem, nostris spectandum praeseferat, eoque propius Catholicae perfectionis fastigium consequatur, quo longius fuerat evagatus. Ita pientissimae matris Monnicae luctum, quae criminum perennitatem enixe deprecabatur, incredibilis laetitia excepit; cujus post obitum in Africam reversus in agro paterno pietatis doctrinaeque studia per tres fere annos conjunxit. Hippone, quae est in Africa Numidiae Urbs, eam sanctimoniae famam excitavit, ut non ad Sacerdotium modo, sed et ad Sacerdotii apicem, ad ipsius nempe Civitatis Episcopatum anno 395; votis omnibus conspirantibus eveheretur. Qui presbyter in Hipponensi Urbe virorum instituerat Monasterium, unde eadem ratio in Africam universam propagata fuerat, idem ab Episcopali munere, ac dignitate non alienum putavit Sacricolas omnes Ecclesiae suae ad canonicum vivendi genus in ipsa Pontificali domo redigere, suoque exemplo firmare. Eo autem ex tem-

pore usque ad postremum diem anno 430. adsignandum, curas ac lucubrationes suas, tuendo ab haereticis insectatoribus grege, iisque, Donatistis praesertim, Pelagianis, et Manichaeis doctissimorum scriptorum ope insectandis impertivit. Nil profecto ad eos revincendos praestantius haberi poterat, quam Libri Augustini adversus Manichaeos, Donatistas, Pelagianos, Semipelagianos, Arianos, Priscillianistas, et Origenianos; Liber de Natura et Gratia Pelagio, Libri duo de Gratia Christi, et de Peccato Originali Pelagio eidem ac Caelestio objecti. Nil Religionis, veritatem magis illustrat, quam insigne illud opus de Civitate Dei, Libri IV. de Doctrina Christiana, Libri XV. de Trinitate, Liber de Catechizandis rudibus; Enchiridion de Fide, Spe et Charitate, sive Christianae Doctrinae Synopsis; dum vero in Libris V. de haeresibus quidquam in judicio subtilius, in ordine luculentius critici homines desiderare videntur. Denique ad expressam sui totius, et anteactae vitae imaginem nihil apertius, nil dulcius memoriae tradi poterat, quam Libri XIII. Confessionum, et II. *Retractationum*. Plura de tanto nomine essent memoranda, plura, quam Operis ratio jubebat, fortasse memoravimus, quae inter Doctores facile Principi, atque Parenti Ordinis nostri vetustissimo danda erant (283).

(283) S. Augustini opera edita fuere Basileae an. 1506. et an. 1528-29. decem voluminibus; nec non Venetiis 1570. quae postrema editio sub nomine venit - *Augustinus Castratus* - cum ali-

§. XI.

Ulphilas.

Ulphilas, sive apud alios Vulfilas Cappadox Gothorum in inferiori Moesia Episcopus, ea fuit apud suos auctoritate, ut illius verbis non secus atque oraculo inhaerendum esse putarent. Multum profecto ad ejus celebritatem confert, quod literas Gothicas invenerit, iisque Bibliorum versionem consignarit. A libris Regum transferendis abstinuit, ne bellica historia armigero pugnacique populo facem praeberet (284). Periit Ulphilianum opus, nec quatuor Evangeliis ejus nomine inscriptis critici omnes assentiuntur. Virum de Ecclesia egregie meritum ad Arianos (quo tempore, adhuc incertum) defecisse historiae plures testantur (285).

quibus in locis fuerit mutilata. Ceteras editiones enumerare longum esset; praeterire autem nequeo quam dederunt Maurini Parisiis 1679-1700. et eam Antuerpiae (vel ut verius Amstel.) 1700-1703. Sermones X. ex codice Cassinensi antea ineditos evulgavit Romae an. 1819. Octavius Fraja Mon. Cassin; S. Augustini vita ext. postremo Tomo opp. edit. Maurinae Parisiis 1700.

(284) Ut ait Philostorgius lib. II. Hist. Eccl. c. 5.

(285) Consulantur cit. Philostorgius, Theodoritus, lib. IV .H. E. c. 37. Sozomenus lib. VI. H. E. c. 37. et Nicephorus Callistus lib. IX. c. 44. Ejus opera quae extare dicuntur, edita sunt Dordraci an. 1665. et Amstel. an. 1684. literis gothicis, cum versione anglo-saxonica, et notis Thomae Mareschalli, quam interpretationem edidit latinis characteribus Georgius Stieruhielmus, Holmiae 1671. Cf. editio Weissenfelsana anni 1805. J. Chr. Zahn.

§. XII.

Philastrius.

Haud satis comperimus unde oriundus esset, et quo tempore vita excederet (286) Philastrius maximi exempli Sacerdos; at quo ardore, ac zelo pro re Catholica decertaret, et in haereticos inveheretur, neminem latere existimamus. Universum, qui Romanae ditionis erat, orbem peragrat, sibique omnino pacisci videtur, ut in hujusce infinitatis peregrinatione Catholicos confoveat, ac firmet, haereticos vero subvertat. Vidit Mediolanensis civitas inexpugnabilem Christi asseclam Auxentio Ariano Praesuli obsistentem: vidit Roma ad caelestis doctrinae contemplationem omnium animos rapientem: sensere demum Brixienses, queis Sacrorum Antistes datus est: probavit valde, ac familiarissimum habuit perspicax ille virtutis judex Ambrosius. Catholicis valde arridet ejus liber de haeresibus: stylus autem quo usus est, philologis viris non item (287).

§. XIII.

Rufinus Toranus.

Hunc dicunt Aquilejensem, qui romanarum

(286) Cf. Ughelli *Italia sacra* T. IV. col. 525. Venetiis 1719.

(287) Cf. editio Hamburgensis 1721. cum emendationibus et notis J. A. Fabricii.

Graecarumque literarum cultum cum monastico instituto, ac crebris per Orientem praesertim itineribus conjunxit. Romae cum Origenis Apologiam ejusque libros (288) e graeco in latinum idioma transferret, incidit in offensionem Hieronymi; Aquilejae in eo defendendo exaestuans, Anastasium Pontificem Maximum offendit, censoremque est expertus. Vastata ab Alarico hac urbe, Siciliam petiit, ibique diem supremum obiit, cum pluribus abhinc annis Sacerdotio fuisset initiatus (289).

§. XIV.

Paullinus Nolanus.

Burdigalensis, generis splendore, oratoria et poetica facultate conspicuus. Hic uxoris amicorumque cohortationibus permotus, non ad Catholicam solummodo fidem, sed ad interiores Scripturae sacrae sensus, sanctumque omnino vitae genus

(288) περι ἀρχων.

(289) Cf. Pagius in crit. in ann. Baron. 372. T. I. Varia ingenii sui reliquit indicia Rufinus Toranus; expositionem symboli ad Laurentium Ep., et commentaria in plures S. Scripturae libros et multa ex graecorum operibus latine reddita, Recognitionum libros X. sub Clementis R. nomine editos, Apologiam Origenis, cum hujusce libris περι ἀρχων, Josephi antiquitates, bellumque Judaicum, contra Appionem libros II, et Historiam Ecclesiasticam Eusebii. Hujus auctoris opera omnia edita fuere a Renato Laurentio de la Barre, Parisiis 1580. Opuscula quaedam a Petro Thoma Cacciari edita fuere Romae an. 1741. Vallarsius omnium operum editioni manus admovit, Veronae 1745. sed volumen primum tantum editum est.

traductus est; quod ut liberius persequi posset, in Hispaniam migrat, ibique familiaribus opibus, hominumque consortio renuncians, Monachum agit, et Sacerdotio deinde exornatur. In Italiam reversus, Romam invisit, Nolaeque constitit, cujusce civitatis anno circiter 409. assumitur Pontifex, non suis modo peracceptus, sed praestantissimis ea aetate viris, et Ambrosio, et Rufino, et Hieronymo ob excellentiam virtutum plurimi factus (290). Prodierunt e suis laboribus nonnulla, in quibus eruditorum animadversiones, et studia versata sunt (291).

§. XV.

Martinus Turonensis.

Sabariae in Pannonia vitam ingressus, Christianae professioni ac pietati adversum habuit, institutionem ab ethnicis parentibus profectam, et solutum, quod militiae est, vivendi genus, cum Constantio et Juliano stipendia meruerit. Verum annum etatis suae agens duodevicesimum lustrali fonte renatus, dimissoque profano cingulo, in

(290) Hujus mors anno christiano 431, ortus vero an. 353. assignari solent. Vid. Baronius ad an. 394. et Muratorius in Anecdot. latin. T. I. pag. 165. Mediolani 1697.

(291) Extant epistolae LI. et Poëmata XXX. in quibus celebre illud - *adversus paganos homines* - eidem dubitanter tribuitur. Paulini Nolani opera edidit Parisiis an. 1685. Joannes Le Brun cum notis et dissertationibus.

Ecclesiae aciem prodit, ibique Hilario Pictaviensi innixus, Arianos oppugnat in Illyrico, et ab eorum, Auxentii praesertim, insectationibus Gallinariam insulam petere cogitur. Revocatus ab exilio Hilarium convenit, et in vicinia Monasterium edificandum curat. Totius populi suffragio ad Ecclesiae Turonensis regimen accitus, nil animo gerit, nil opere praefert, quod Religionis dignitati et incremento, fidelium praesidio non omni ex parte respondeat (292).

§. XVI.

Aurelius Prudentius.

Ab Aurelio Prudentio Clementi Hispano anno circit. 348. Caesaraugustae nato, et quamvis inter laicos, sacra tamen poesi summopere exculto habuit Catholica Ecclesia Martyrum certamina, et Victorias in ejus *libro de Coronis*, librum *de Originali peccato*, aliaque scripta ad fovendam pietatem et religionem illustrandam satis idonea (293).

(292) De anno ejus emortuali non satis sibi constant Scriptores; neque satis de authentia professionis fidei Trinitatis, quae eidem tribuitur. Cf. Jo. Alb. Fabricius in bibl. lat. med. et inf. aet. Vol. V. par. III. ubi extat Professio citata. Cff. Sulpicius Severus in vita B. Martini, Carolus le Cointe in annal. eccl. Francorum T. I. p. 202. ad an. 498. Parisiis 1665.

(293) Prudentii opera cum notis varior. edidit M. Johannes Weitzius Hanoviae 1613. in usum Delphini edidit Parisiis 1687. Stephanus Chamillard eadem illustravit et edidit Halae 1703. Cellarius. Carmina illustravit quoque Faustinus Arevalus, et publici juris fecit Romae anno 1788.

§. XVII.

Joannes Cassianus.

Ascetica multa, quae litteris consignavit Joannes Cassianus Thracius (cujus ortum adsignant decennio post annum 350. mortem vero ab anno 435. ad 448.) a Monastica educatione, qua adolevit, ab Eremo Scytica, quam incoluit, a peragratis Nitriensibus coenobiis, et a crebro SS. Patrum usu repetenda sunt. Praecepta multa hausit Constantinopoli a Jo. Chrysostomo, cujus expulsionem cum Romam anno 403. legatus Innocentio I. Pontifici renunciasset, sacerdotio est initiatus, quod ibidem gessit donec, capta per Alarici copias Urbe, anno circiter 410. migravit in Gallias, duo Monasteria prope Massiliam condidit, ac regularem disciplinam, quo ferebatur instinctu, egregie juvit (294).

(294) Ex ejus operibus haec praesertim doctis viris arrident; libri XII. de Institutis coenobiorum, et libri XXIV. de collationibus Patrum in scythica eremo commorantium. Semipelagianorum labe aliquantulum maculatum fuisse Cassianum tradunt Scriptores. Cff. Gennadius in catal. illustr. viror. c. 61. ext. T. II. parte 2. opp. S. Hieronymi edit. Vallarsii pag. 965, in qua Cassianus dicitur a Gennadio scripsisse *experientia magistrante*, *literato sermone*, ... *sensu verba inveniens et actione linguam movens*, *res omnium monachorum professioni necessarias.* Cassiodorus divin. lect. c. 29. Photius cod. 197. aliique. Opera omnia Cassiani edidit Atrebati 1628. Alard. Gazaeus, quae iterum cusa sunt Lipsiae 1722. ibique apud Wetstenios an. 1733. Extant etiam T. VII. Bibl. PP. Lugd. pag. 17. Adest italica versio Benedicti Buffi - *delle Costituzioni et origine de' Monaci - Venezia per Michel Tramezino* 1563.

§. XVIII.

Marius Mercator.

Hic nullo sacerdotio, sed literis tum graecis tum latinis quamplurimis praeditus in Augustini familiaritate vixit, et anno 429. Theodosio Commonitorium exhibuit in Caelestium, librum subnotationum in Julianum Pelagianum confecit, Theodori Mopsuesteni fragmenta, S. Cyrilli Apologetica adversus Orientales e Graeco in latinum idioma traduxit (295)

§. XIX.

Hilarius Arelatensis.

Gallus, nobili loco natus, nobilioribus litteris imbutus, solidissima virtutum fundamenta in Lirinensi coenobio jecit, quae postea in Arelatensi Ecclesia regenda mirum in modum effulsere. Singularis Ecclesiasticae disciplinae custodia, indesinentes Apostolici muneris labores, flagrans erga egenos quoslibet charitas, in eam sanctitatis famam eum adduxere, qua Leo Magnus prae ceteris sese teneri fatebatur. Vitam S. Honorati Arelatensis Episcopi, Ex-

(295) Ejus opera extant T. VIII. p. 615-738. - Bibliothecae veterum Patrum - Venetiis 1772. Cf. editio Parisiensis anni 1673. cum notis et dissertationibus Joannis Garnerii, et altera Paris. an. 1684. cum notis Baluzii.

positionem Symboli, et Epistolas permultas exaravit, et singulis anni festivitatibus Homilias dedit (296).

§. XX.

Leo Magnus.

Romam patriam, Romanamque Ecclesiam, in qua primo Archidiaconus, deinde Sixti III. Pontificis an. 440. successor fuit Leo Magnus praeclaribus sanctimoniae, doctrinae, facundiae, constantisque in rem catholicam studii monumentis illustrat (297); dignus profecto qui cognomentum Magni meritorum praestantia partum, in omnem posteritatem protulerit. Ea extant a Leone mirae adversus haereticos fortitudinis exempla, quae superioribus omnibus longe videntur excellere. Manichaeos, coacta in Urbe Synodo anno 443. expugnat, Pelagianos aggreditur, Priscillianistas Hispaniam inficientes conculcat, Eutychianae haeresis caput, dogmatica ad Flavianum Epistola, conterit, ac instar loquentis Petri accipitur; in Ephesino latrocinio, cunctis prolabentibus, eam vocem emittit, quae totum orbem cum

(296) Opuscula cum notis Joannis Salinas extant cum Vincentio Lirinensi ab eodem Salinas edito pag. 105. et seq. Romae 1731. ejus vita auctore S. Honorato Massiliensi Ep. ext. T. I. opp. S. Leonis M. edit. Quesnellii pag. 365. Lugduni 1700.

(297) Eadem ferme verba habet Menologium graecorum Basilii Imperatoris jussu digestum. Vidd. testimonia veterum Patrum selecta in opp. S. Leonis, curantibus fratribus Balleriniis, Venet. 1753. T. I. pag. 44.

Principibus et Potestatibus concutiat, et Leoni illi qui vicit de Tribu Juda, haud impari praeconio comparatur (298). Sacrae non modo, sed et civilis Reipublicae custos Attilam Romae impendentem eloquii armis devincit, Gensericum Wandalorum Regem ab Urbe, igne ferroque vastanda deterret. Tantum columen Ecclesiae defuisse tradunt anno 469; cujus facundia pollens, et magniloquentia in homiliis et sermonibus multis adhuc personant; cujus epistolae Ecclesiasticam aevi illius historiam exornant; cujus liber de idiomatum communicatione ad Flavianum Catholicam doctrinam declarat. Curas quoque *Sacramentario* adjunctas commendandas putamus (299).

§. XXI.

Claudianus Mamertus al. Mamercus.

Inter Monachos aliquandiu vixit, sacerdotio postea donatus. Sacris profanisque literis eruditus, Graecam, latinam linguam, artemque Dialecticam egregie callens, tres edidit libros - De Statu Animae in Faustum Rejensem Antistitem, qui nullum ens in creaturis incorporeum admittebat, et inter philosophos

(298) Vidd. ead. opera S. Leonis de quibus supra, ubi afferuntur in eamdem sententiam verba Nicolai I. in ep. ad Michaelem Imperatorem. Consulatur nostra nota sup. (67) pag. 131.

(299) Opera S. Leonis edidit prae ceteris Paschasius Quesnellus, Lugduni an. 1700. duobus Tomis. Sed laudem omnem mereri arbitramur, quam curarunt eruditissimi fratres Ballerinii post Quesnelli recensionem. Venetiis 1753-1757. III. T.

praestantissimus, quod Sidonius Apollinaris testatur (300), habitus est. » Anno 474. vita migravit (301).

§. XXII.

Sidonius Apollinaris.

—

Tulit Lugdunensis civitas anno 435. Sidonium Apollinarem, qui avitum decus amplitudine Senatoriae dignitatis, doctrinae virtutisque splendore illustravit. E civili praefectura ad Episcopatum Claramontanum assumptus, pietatem ac zelum muneri aequavit, donec anno 488. fatis concessit. Concinnitatem, magisquam ingenii aciem ostendit in iis, quae prosa oratione ac metrica scripsit, in carminibus nempe XXIV. et libris Epistolarum IX. (302).

§. XXIII.

S. Prosper.

—

Patria Aquitanus, aliquandiu a secretis Leonis M. Pontificis, tanto in Augustiniana doctrina defendenda aestuabat ardore, ut omnem operam in id contulisse videretur, et nullum Semi-pelagianis Mas-

(300) ep. ad Nymphidium, ext. inter Orthodoxographa pag. 902. Basileae 1555.

(301) Libri III. de statu Animae extant inter Orthodoxographa cit. pag. 848. - T. VI. Bibl. PP. Lugd. pag. 1040. - et T. X. Bibl. Gallandii pag. 415.

(302) Cf. editio Sirmondi; Parisiis 1614.

siliensibus, aliisque Augustini impugnatoribus in Galliis locum, nullum effugium per eximia scripta reliquisse dicatur. Haec vero ejus nomen praeferunt - Carmen de Ingratis - Responsiones ad Capitula Gallorum calumniantium, ad objectiones Vincentii, ad Excerpta quae de civitate Genuensi sunt missa; Chronicon (303).

§. XXIV.

Salvianus.

Massiliensem hunc, cujus mors annum attigit 485, divinis humanisque literis praeditum, Episcoporum dicunt Magistrum, idque ab exemplis doctrinae et virtutis, numquam vero a praecellentia dignitatis, quae sacerdotium non excessit. Sane quam presse atque invicte aetatis illius corruptelae, ac defectiones essent perstringendae, Deique opera pravitati objicienda, edocebantur Ecclesiastici viri ab egregio octo librorum Opere - de Gubernatione Dei - Accedunt libri IV. adversus avaritiam, qui foedissimam vitii faciem revelant, et Epistolae IX. (304).

§. XXV.

Vincentius Lirinensis.

Nullo pacto praetereundus nobis videtur, cu-

(303) Vid. Gennadius de script. illustr. c. 84. Opera omnia extant T. VIII. Bibl. PP. Lugd. p. 1. et seqq. Carmina extant in collectione Poetarum. Pisauri 1765. T. V. p. 363.

(304) Ext. ap. Gallandium. T. X. Bibl. PP. p. 1. et seqq.

jus nomen adeo est ingens Vincentius Lirinensis, Gallus, e Lirinensis insulae Monasterio, ubi Presbyter ac Monachus se habuit, nuncupatus. Hunc vocat Gennadius (305) virum in Scripturis Sanctis edoctum, et notitia Ecclesiasticorum dogmatum instructum, qui ad evitanda haereticorum collegia nitido satis et aperto sermone validissimam disputationem adversus haereticos composuerit. Nil profecto ad ejus famam praeclarius Commonitorio illo adversus profanas omnium haereseon novitates, pro Catholicae Fidei antiquitate, et universitate, quod alieno Peregrini nomine quam saepissime editum plures notis illustrarunt, omnes veluti firmissimum Catholicae doctrinae propugnaculum extollunt (306).

§. XXVI.

S. Maximus Taurinensis.

Hic floruit, ut a Gennadio ediscimus (in libro de viris illustribus) Honorio et Theodosio juniore Imperatoribus et Taurinensem Episcopatum in subalpinis naviter sancteque gessit. De ejus anno emortuali dissentio viget inter Chronologos. Plures extant ejus nomine Homiliae praestanti fa-

(305) loc. cit. cap. 64.

(306) Vidd. T. VII. Bibl. PP. Lugd. p. 249. et T. X. Bibl. PP. Gallandii pag. 103., nec non opusc. Hilarii Arelatensis cum notis Joannis Salinas, Romae 1731. Commentarius historicus de Vincentii Lirinensis aetate, libris, cultu etc. ext. T. V. maij Bolland. pag. 284.

cundia, sinceroque verae Fidei studio commendandae: nonnullae ex iisdem Augustino et Ambrosio tribuebantur, quas critica acus tetigit, et Auctori suo vindicavit (307).

§. XXVII.

Felix Ennodius.

Arelatensis, Diaconus primum ac deinde Ticinensis Ecclesiae Episcopus, innocentiae ac constantiae laude spectatissimus, pro Symmacho Papa, Romanaque Synodo Quarta cum Schismaticis strenue decertavit, et Legationem apud Anastasium Caesarem, neque exiguos labores ad Orientales Occidentalesque conciliandos obiit. Fatis excedens anno 521. peculiarem famam reliquit libro Apologetico contra Schismaticos a Synodo V. probato, tum Libris Epistolarum IX. aliisque opusculis a Sirmondo in lucem prolatis (308).

§. XXVIII.

Boethius.

Vir Patricius et Consularis floruit sub Theodorico Italiae Rege, et ejus postea jussu, tamquam

(307) Vidd. opera jussu Pii Sexti P. M. aucta, atque adnotationibus illustrata per Brunonem Bruni, et Thomam Mariam Mamachium. Romae typis Congregationis de Propaganda Fide 1784.

(308) Parisiis 1611.

conjurator Papiae, carceri ac neci traditus est anno 524. Verum magna de eo viget integritatis ac pietatis opinio, magna commendatio Literarum, quas, in Scholis praesertim Atheniensibus, adeptus fuerat, ac singularis prorsus scriptorum fama et celebritas. Immortale opus - De Consolatione Philosophiae - (309) cujus elocubratione teterrimos carceris squallores fefellit, tum suis tum omnibus fere aetatis illius scriptis excellit. Dedit et Libros de duabus Naturis et una Christi Persona; de Trinitate ad Symmachum Socerum; itemque Arithmeticos, Musicos, Geometricos, ac denique latinam versionem Dialecticorum Aristotelis, aliorumque Graecorum (310).

§. XXIX.

Fulgentius.

In Africa, et, ut nonullis placet, Carthagine vitam ingressus anno circiter 467. patriciam gentis nobilitatem humanioribus primum ac monasticis disciplinis, vitae innocentia, et sanctitate (311) Caenobii sui Praefectura, et postea Ruspensis Ecclesiae Pontificatu, eoque prudenter praeclareque

(309) Libri V. de consolatione philosophiae editi sunt Parisiis 1695. ad usum Delphini cum notis Petri Callyi. Iidem libri in italicam lingua translati sunt a Benedicto Varchio - *Firenze*, *Filippo Giunti* 1589. -

(310) Opera omnia Boethii cum notis Henrici Loriti Glareani, et Martiani Rota edita sunt Basileae 1546.

(311) Vid. T. I. Jan. Bolland.

gesto, exornavit. Arianorum exagitator, et ob devictos Pelagianos et Semi-pelagianos Augustinus alter saepe nuncupatus, variis ideo aerumnis, relegatione praecipue in Sardiniam insulam affectus, mortem oppetiit anno 533., immortalibus scriptis numquam interiturus. Praestantiora haec sunt: Libri tres ad Monimum, in quibus de duplici Praedestinatione, de Sacrificio, et de Verbi Æternitate disserit: Lib. unus ad Donatum de Fide Orthodoxa, et de variis erroribus haereticorum: contra Arianos Liber unus objectionibus decem responsiones totidem complectens: Libri tres ad Thrasimundum Wandalorum Regem - De Mysterio Mediatoris Christi, de ejusce Divinitatis immensitate, et Dominicae Passionis Sacramento: - plures denique Homiliae, Sermones, Epistolae in Dogmaticam moralemque Catholicae Ecclesiae doctrinam (312).

§. XXX.

Caesarius.

—

Cabilloni, juxta plerosque, ortus, Monasterii Lirinensis et Ecclesiae deinde Arelatensis per annos 44. Antistes, ac de grege suo, deque Ecclesia universa optime meritus, cum Synodo Arausicana II. an-

(312) Hic Fulgentius haud est confundendus cum alio ejusdem nominis *Ferrando* dicto, Carthagin. Eccl. diacono, cui nonnullae epistolae, et canonum breviatio tribuuntur. Opera S. Fulgentii edita sunt a Sirmondo, Parisiis 1623. et a Mangeant ibid. 1684.

no 529. praeesset Semipelagianos errores invicte perstrinxit, pluresque alios Augustinianae innixus doctrinae refutavit (313). Homilias ejus nomine evulgatas habemus, quorum nonnullas tamen suppositas non diffitemur: ac praeterea Regulam Monachorum, et Sanctimonialium; Exhortationem ad custodiendam castitatem, et Epistolas multas (314).

§. XXXI.

Dionysius Exiguus.

Natione Scytha, et Monachorum Abbas, statura quidem pusilla (unde cognomentum Exigui), sed Graecarum latinarumque Literarum peritia virtutisque praestantia magnus, et Chronographi accuratissimi famam adeptus, ab ineunte usque ad medium saeculum VI. floruisse putatur. Inter ejus inventa memorantur: Cyclus Paschalis annorum 95 Æra Christiana vulgo Dionysiaca: Collectio Canonum Ecclesiasticorum: pluresque demum versiones e Graeca lingua, quas inter eidem tribuitur Vita S. Pachomii Abbatis, necnon et Oratio S. Procli - De Laudibus sacros. Dei Genitricis Virg. Mariae adversus Nestorii blasphemias - (315).

(313) De ejus vita vid. Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Bened. al. cit. saec. I. p. 659-677. Parisiis 1658.

(314) Quoad Caesarii opera consulatur Dom. Remy Ceillier in opere inscripto - Histoire Génerale des Auteurs sacrés, et Ecclesiastiques etc. - pag. 282. T. XVI. Parisiis 1748.

(315) Vid. sup. cit. Ceillier ibid. p. 220.

§. XXXII.

M. Aurelius Cassiodorus.

—

De eo gloriatur Italia, in qua primam lucem aspexit nobilissimo loco exoriens. A Secretis Theodorici Regis, et Athalarici gratia usus, amplisque muneribus insignitus, par tanto splendori consilium, paremque sapientiam exhibuit, eoque praesertim notabilis, quod in magnis quoque muneribus et procurationibus humanas divinasque doctrinas secutus sit. Queis autem inhaesit quammaxime cum, honoribus abdicatis, ad monasterium confugit, in quo septuagenarius debitum naturae tribuit (316). Varia reliquit in Sacram Scripturam commentaria; Institutionem ad Divinas Lectiones adversus tria Capitula, ut videtur, duobus libris conscriptam; Tripartitam historiam ex Graecis Auctoribus Socrate, Theodoreto, et Sozomeno latine redditis concinnatam; necnon et Epistolas cum dissertatiunculis variis (317).

§. XXXIII.

Liberatus.

—

Cartaginiensis Ecclesiae Archidiaconus, idem-

(316) Vid. Dionysius Samarthanus in op. - *Vie de Cassiodore* Paris 1694. - Cf. cit. Ceillier ibid. p. 374.

(317) Opera Cassiodori edidit Joannes Garetius, Rothomagi 1679.

que pertinax trium Capitulorum defensor, Nestorianas et Eutychianas controversias opere, cui Breviarii nomen dedit (318) complexus est, quod tamen vel aliena depravatione, vel detorto Auctoris studio caute admodum legendum, neque ob stili dissimilitudinem probandum videtur.

§. XXXIV.

Gregorius Turonensis.

Patria Arvernus, et Gallo Arvernorum Antistiti in disciplinam traditus, e Monastico secessu ad infulas Turonenses invito reluctantique animo sublatus non eximiae tantum pietatis, continentiae, ac pastoralis sollicitudinis, sed et mirae in Religione asserenda fortitudinis edidit testimonia, peracutis nempe disceptationibus cum Arianis duobus et cum Chilperico Rege Sabellianis obsequente habitis. Dies illius supremus anno 595. tribui solet. De scriptis, varias licet in sententias abeant eruditi, hoc tamen inter ipsos convenit, neque ex partium studio, neque ab incuria historicos Gregorii libros argui posse, at nec eos opportunam in enarrationibus judicii severitatem, neque ullum styli decus admittere. Mentione digni sunt = Libri X. historiae Francorum Ecclesiasticae, Libri VII. Miraculorum, qui Deum in Sanctis suis mirabilem,

(318) edidit Garnerius Parisiis 1675.

ideoque Martyrum coronas, prodigia S. Martini, et Confessorum gloriam ad sidera tollunt; et liber dénique de vitis Patrum (319).

§. XXXV.

Gregorius I.

—

Non patriciae nobilitatis praestantia, virtutum ornamentis aucta, neque Romanae Civitatis Praefectura, neque obitae legationes, Magni nomen Gregorio fecerunt (320), sed excelsum doctrinae, sacrae dignitatis, rerumque in ea gestarum fastigium. Ad Ecclesiae Catholicae clavum, animo licet obsistente, assumptus, totus in eo fuit ut Trium Capitulorum defensores ad unitatis vinculum, Joannis Jejunatoris contumaciam ad Supremae Sedis obsequium, Clericos et Monachos ad pristinam strictioremque disciplinam, Ecclesiastica officia ad sedulum ordinem, Anglos missis praeconibus ad Catholicam veritatem evocaret, simoniaca labe Germaniam, Galliasque eximeret, fideles universos immortalibus scriptis institueret, confirmaret. Theologorum Princeps, inquit Trithemius (321) splendor Philosophorum, Rhetorum lumen, vita et conversatione sanctissimus, cui divinas Scripturas explananti Spi-

(319) Praestantissimam editionem curavit Theodoricus Ruinart. Luteciae Parisiorum 1699.

(320) Vid. nostra nota sup. (86) pag. 149.

(321) In lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 95. Coloniae 1546.

ritus Sanctus aliquoties, visibili specie, arcana mysteriorum invisibili magisterio reseravit. Superos adiit anno 604. Operibus permultis inclarescit, Expositione praesertim in librum beati Job, Leandro Episcopo efflagitante conscripta, et in hac quanta mysteria Sacramentorum (en Isidori Hispalensis verba) (322) aperiantur, quanta sint in amorem vitae aeternae morum praecepta, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo sapiens explicare valebit. Dedit et plures homilias in Ezechielem, in Evangelia, aliosque Scripturae Sacrae libros; eruditione copiosissimus, subtilis fortasse nimium in Allegoriis. Singularis denique prudentia, et impensum Divini cultus studium in Regulis ejusdem Pastoralibus, aliisque opusculis luculenter patent (323).

§. XXXVI.

S. Isidorus.

—

Ab hoc plurimum refert acceptum Hispania, ubi Hispalensi praefuit Ecclesiae, protecta scilicet Religionis doctrinaeque monumenta, prohibitam ru-

(322) In lib. de illust. Eccl. script. c. 27.

(323) Cf. Maimbourgus in vita S. Gregorii Magni edita Parisiis 1686. gallice exarata, nec non Babillonius saec. I. Ann. Benedict. Lucae 1739. Opera omnia S. Gregorii Magni edita sunt Romae anno 1588. et seqq., praestantissimam vero editionem curarunt Maurini Patres, Parisiis 1705. Editio Veneta an. 1768. et seqq. ad instar Maurinae, notis ditatur Galiciolli.

ditatem atque barbariem, optimos mores instructos, Catholicam veritatem tum exemplo tum scriptis commendatam. Philosophiam, historiam, multiplicemque eruditionem calluit Isidorus, sed neque abundasset ingenio, neque styli elegantiam consecutum putant. Praestantiora sunt ex ejus Operibus = Originum sive Etymologiarum Libri XX. qui compendiariam scientiarum fere omnium notionem continent; libri II. de Ecclesiasticis Officiis, qui originem et rituum sacrorum aeconomiam explanant; Chronicon ab orbe condito ad an. 625; Chronicon item Gothorum, Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis Hieronymi et Gennadii labores prosequens; Monachorum Regula, ac nonnulla etiam in Scripturam Sacram opuscula, cum varia, quae morum disciplinam respiciunt ejusque nomine donantur, Patribus aliis a criticis dari soleant (324).

§. XXXVII.

S. Ildephonsus.

Isidoro Hispalensi Ildephonsum libenter subjicimus, qui sub illius disciplina virtutum et scientiarum tirocinium posuit, adeoque profecit, ut Monachorum primum, ac Toletanae deinde Ecclesiae

(324) Isidori Hispalensis opera edita fuere Basileae an. 1477. et Parisiis an. 1601. per Fratrem Jacobum du Breul Monachum S. Germani a Pratis. Arevalus aliam longe praestantiorem curavit editionem Romae anno 1797–1803. apud Ant. Fulgonium.

per novem annos Antistes praeclarum ordinis ac Sedis ornamentum extiterit: perpetuus ac flagrans Deiparae Virginis Cultor, ejusque conspectu, amictuque Sacerdotali donatus. Hujusce pietatis monumenta reliquit vita defunctus anno 667; Tractatum nempe - de Virginitate illibata Genitricis Dei Mariae contra infideles - atque alterum in eundem sensum; Librum de proprietate Personarum Divinarum; Sermones varios et Homilias, aliaque Opuscula prosaica et metrica. Vestigia demum Isidori Institutoris premens, Catalogo virorum illustrium labores adjunxit (325).

§. XXXVIII.

Ven. Beda.

Praefulget inter Ordinis Benedictini Scriptores virtutum meritis venerandus, omnigenaque eruditione clarus Beda in Britannia natus an. 672., apud Anglo-Saxones presertim Oraculi instar habitus, a Sergio Pontifice, quem hominis fama permoverat, Romam invitatus, qui vitam in pietatis atque literarum omnium exercitationibus abditam explevit anno 735. Monumenta quae exstant laborum suorum, non eum graecae tantummodo latinaeque lin-

(325) Ejus scripta edita sunt Parisiis 1576. et T. I. SS. PP. Toletanorum, Matriti 1782, opera auctoritate et expensis excellentissimi Domini Francisci de Lorenzana pag. 107. et seq. Ildephonsi vita ext. ibid. pag. 94.

guae peritissimum ostendunt, sed et Rhetorem, Historicum, Chronographum, Philosophum, ac Theologum testantur, adeo ut proverbii loco tunc temporis duceretur: *hominem in extremo orbis angulo natum, universum orbem suo ingenio perstrinxisse*: Praestat inter illius opera Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum Libris V. a primo Julii Caesaris in Britanniam adventu, ad annum 731; licet credulum fortasse nimium Auctorem prodat. Accedit Chronicon sive de VI. mundi aetatibus; multumque ad ecclesiasticam eruditionem conferunt Explanationes in Pentateuchum, atque in alios Scripturae libros; Commentaria in Novum Testamentum, Homiliae de Tempore, et de Sanctis; aliaque multa Grammatica, Geometrica, Musica, Astronomica, Poetica etc.; in quibus dictionis perspicuitatem, magisquam judicii sagacitatem cum criticis animadvertes (326).

XXXIX.

S. Bonifacius.

—

Monachus Anglo-Saxonus, et Germanorum Apostolus, qui Frisios, Thuringas, Bajoarios aliosque affines populos ad Christiana mysteria ac prae-

(326) Varias Bedae operum editiones recensere longum esset praecipuas adnotabimus, Parisiensem 1521. et 1544. Basileensem 1563. Cantabrigiensem 1642. Coloniae Agrippinae 1688. Londinensem 1693. per H. Wharton ubi tantum opera historica, et nonnulla Theologica inveniuntur.

scripta informavit, Abbas primum in celebri Monasterio Fuldensi, Archiepiscopus deinde nobilissimae Moguntinorum Ecclesiae, Gregorii Secundi, atque alterius, necnon et Zachariae gratia florens, Apostolicis Legationibus, et Martyrio demum, quod fecit an. 755. illustris, nonnulla elocubravit quae judicium non mediocre, ac fervidum Religionis zelum patefaciunt. Sunt nempe, Liber de Vita et Martyrio Sancti Livini Episcopi Gandavensium Patroni, Epistolae ad Pontifices, quos superius indicavimus, et ad Francorum Proceres (327).

§. XL.

Hadrianus I.

Romae primam lucem intuitus, et multis in Ecclesia muneribus perfunctus, sanctimoniae, ac doctrinae meritis ad Petri Cathedram est evectus an. 772; seditque in ea usque ad annum ejus emortualem 795. Praeter epistolas multas, quarum pars inter alias Pontificias habentur, insignem, ut vocat Bellarminus confecit Librum in defensionem Septimae Synodi, et responsionem ad librum Caroli Francorum Regis. Emisit et responsionem ad Basilium Achridenum Thessalonicensium Antistitem; tum Codicem sive Collectionem Canonum (328).

(327) Opera edidit Serarius Moguntiae 1605., accedit S. Bonifacii vita ab S. Willeboldo scripta.

(328) Vid. nostra nota sup. (118) p. 167. Cff. Ann. Baronii, Concilia Binii et Sirmondi, et codex Carolinus ap. Gretzerum.

§. XLI.

Paulus Diaconus.

Langobardus, et Diaconus Aquilejensis Ecclesiae, a secretis Desiderii Regis, post subactum Ticinum, in Caroli M. Francorum regis potestatem concessit anno 774. sed honestissimam imo aulicam captivitatem tum victoris magnanimitate tum meritorum commendatione est expertus. Demum ob commotas suspiciones varias, atque aerumnas, ex iis fluctibus in portum sese recepit, in Monasterium scilicet Cassinense, ubi post indubia recuperatae apud Carolum gratiae tsstimonia, in Caelestium lucem transmigravit anno 799. Eum neque obita munera, neque monastica disciplina a literarum studiis abducere potuerunt, in quibus famam sibi peperit non ignobilem. Exaravit praeter alia historiam, jussu Adelbergae Ducis Beneventanae, seu continuationem historiae Eutropii; Historiam Langobardorum Libris VI.; Sanctorum vitas, et Epistolas (329).

§. XLII.

Paullinus.

Generis humilitatem, Sanctitate morum et doctrinae praestantia nobilitavit, et posteaquam pu-

(329) Vid. Muratorius in Script. rerum Ital. T. I. P. I. p. 405. et seqq. Medionali 1723.

blice Grammaticam artem tradidisset, Aquilejensi Pontificatu, Carolo M. rege praesertim suffragante, auctus est, vitamque spectatissimam cum morte, miraculis enitente, commutasse fertur anno circit. 802. Ejus opera in Conciliis plurimum valuit, neque minus habita est scriptis posteritati commendatis, quorum nonnulla innuimus; libellum de Sanctissima Trinitate adversus Felicem et Elipandum, qui Sacrosyllabus audit; libros tres contra Felicem Orgelitanum Episcopum, cum Epistola ad Carolum Magnum (330).

§. XLIII.

Alcuinus.

Flaccus Albinus, seu Alcuinus ortu Britannus in Eboracensi Ecclesia educatus, eidemque addictus ea praebuit ingenii, ac sedulitatis indicia, adeoque in studiis (quae apud Benedictinos Patres explevisse dicitur) profecit, ut Eboracensibus scholis omnibus praefectus, celebritate discipulorum prorsus singulari honestaretur. Fama Alcuini in dies percrebrescente, Carolus M. qui Ecclesiasticas ac liberales omnes disciplinas instaurare percupiebat, hominem sibi adscivit, regiaeque proli, Proceribus, et Aulicis, schola Palatina opportune consti-

(330) Opera Paullini edita sunt Venetiis a Joanne Francisco Mandrisio, cum notis et dissertationibus, an. 1737. Cf. Mansi T. XIII. pag. 921. Concilior. Venetiis 1767. ubi librum (ineditum antea) de Baptismo invenies.

tuta, Magistrum ac Praeceptorem dedit, studiorumque per regnum universum fautorem, restitutoremque sortitus est. At vir in omni aetate pientissimus, profani illius splendoris pertaesus, et unum petiens a Domino ut inhabitaret in domo ejus, monasticum cogitavit secessum, obtinuit denique in Turonensi S. Martini Caenobio, et eum quoque prudenti regimine, doctrinae incrementis, et virtutum exemplo usque ad obitum vitae consentaneum (qui in annum incidit 804) juvit, et illustravit. Ex ejus scriptis praecipuam mentionem promerentur Opus de Sancta Trinitate, Carolo M. postulante, confectum; alterum in Genesim, in Ecclesiastem, in Psalmos, et in alios Scripturae Libros; Libri de ratione animae, de Virtutibus et Vitiis, de Rhetorica, Dialectica, Musica, Orthographia etc.; Collecta varia ex SS. Patrum operibus (331).

(331) Alcuini opera Parisiis cusa fuere an. 1617. ex editione Andreae Quercetani. Aliam editionem curavit Frobenius Ratisbonae an. 1777. Hisce autem scriptoribus latinis, quos Cl. auctor recensuit eorum nomina subjiciuntur, quae vel desiderantur in textu, vel deterioris notae sunt, vel deficientibus ingenii doctrinaeque monumentis non eadem celebritate donantur. Honorem profecto sibi vindicant Julius, Liberius, et Anastasius Romani Pontifices, Eusebius Vercellensis, Potamias Ulyssiponensis, Zeno Veronensis (cujus sermones ediderunt Veronae an. 1739. fratres Ballerinii), Phaebadius Aginensis, Lucifer Calaritanus, Pacianus Barcinonensis, Osius Cordubensis, Vigilius Tridentinus, Victorinus et Thiconius Afri, Victricius Rothomagensis, Faustinus et Marcellinus Presbyteri, Aurelius Carthaginiensis, Quintus Julius Hilarianus, Gennadius Presbyter Massiliensis, qui librum de scriptoribus Ec-

clesiasticis, atque alterum de dogmatibus confecit; Marcellinus Illyricianus Comes, Paullinus alter, Remigius Rhemensium Pontifex apostolicis laboribus admirabilis, et epistolis suis ad Hormisdam ad Clodovaeum, et ad alios, cujus declamationes et orationes a Sidonio Apollinari ob doctrinam et eloquentiam commendatae hodie desiderantur. Queis addendi sunt supremi Ecclesiae antistites Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, Sixtus III. Pelagianorum insectator, auctorque notissimus epistolarum ad Joannem Antiochenum et ad omnes Orientales, Gelasius, et Vigilius. Neque inter eos, qui fidelium institutioni et exemplo datis scriptis consuluerunt, praetermittendus est Benedictus Cassinensium Monachorum, atque occidentalis ordinis in omni aetate perornati sanctissimus Parens, qui regulam scripsit moralibus praeceptis refertam, et ut ait Gregorius I. R. P. (in dialogis) sermone luculentem, discretione praecipuam. Consuluerunt pietati ac doctrinae Rusticus Ecclesiae Romanae Diaconus auctor Dialogi adversus acephalos, et Concilii Chalcedonensis assertor; Arator Subdiaconus item Romanus, qui Apostolorum acta, duobus carminum libris Vigilio Pontifici oblatis, eodem jubente, palam recitatis complexus est; Venantius Fortunatus Pictaviensium Antistes, virtute atque eruditione commendabilis, qui nonnullas sanctorum vitas, carmina sacra, inter quae vulgatiora illa de cruce - *Vexilla Regis*, *et Pange lingua gloriosi lauream etc.* - exaravit; Columbanus Hybernus, et variis Monachorum praefecturis ornatus, ac postrema Bobiensi in Italia, ubi fatis cessit an. 614., qui caenobialem regulam, et carmina edidit; Martinus natióne Pannonius, et Bracarensis Episcopus, qui Swevos quamplurimos ab Ariana impietate revocavit, Canonum collectionem ex graecis synodis digessit, et de quatuor virtutum cardinalium differentia egit; Gildas cognomento sapiens, qui scripsit de Britanniae excidio, corruptamque Cleri in eadem regione consuetudinem objurgavit. Debita mentione haudquaquam fraudandi sunt Martinus I, qui varias et summo Pontifice dignas epistolas reliquit; S. Julianus Episcopus Toletanus, quem trium adversus Judaeos librorum auctorem volunt; Aldhelmus Benedictino ordine, episcopus apud occidentales Saxones renunciatus, eximiaque doctrinae ac sanctimoniae praeditus fama, qui opera haud pauca confecit, quae inter memorandus est liber de laudibus virginitatis, alter poeticus de octo vitiis, et epistolae nonnullae; Fredegarius qui chronica digessit a Mundi exordiis usque ad an. 641., et compendiariam Francorum historiam a Gregorio Turonensi descri-

§. XLIV.

Graeci Scriptores.

Monumenta ingenii ac doctrinae ab Orientali Ecclesia ad Catholicae Religionis incrementum praesidiumque relicta breviter attingimus, ea vero receptaque nobis ratione, ut quae prioribus saeculis acta et conscripta sunt, in hac etiam quantulacumque lucubratione nostra praecedere debeant.

§. XLV.

Eusebius Caesareensis.

Hic ab anno 315., ut volunt, ad annum 340. Caesareensi Pontificatu praeditus, non rerum gestarum memoria, quam temporis longinquitas abstulit; sed scriptorum genere, in quo Ecclesiasticis historicis praelusisse videtur, innotescit. Hoc potissimum nomine plurimum illi debemus, qui vero neque mentis aciem, neque soliditatem dogmaticis rebus declarandis idoneam, neque perspicuita-

ptam, ampliavit ornatioremque reddidit. Potiorem etiam sibi vindicat locum inter hujus periodi scriptores latinos Ausbertus, seu Autpertus in Gallia natus, et Benedictinae sodalitatis Abbas, qui floruit sub Desiderio Langobardorum Rege, et in sacra qualibet facultate versatus, scientiam suam editis scriptis testatus est. Habemus enim libros in Apocalypsim, libros de conflictu vitiorum, vitas Paldonis, Tatonis, et Jasonis, qui patres Monasterium S. Vincentii fundaverant, et Orationes nonnullas. Cf. Bellarminus de Script. Eccl. T. VII. opp. Venetiis 1728.

tem historicae scriptioni necessariam, satis ostendit Ex iis quae literis plurima sane consignavit, non omnia aut omnino integra ad nostra usque tempora devenere. Extant Ecclesiasticae historiae libri X. ab enata Ecclesia ad exactos Constantini Augusti triumphos; De vita Caesaris ejusdem libri IV.; Chronicon libri II., in quibus variae gentium origines, successiones, ac vices a vocatione Abrahami Credentium Protoparentis, usque ad an. Ærae Christianae 326. deductas vides, et qui interpretem, ac locupletatorem Hieronymum sortiti sunt. In opere cui titulus = Evangelica Praeparatio = fabulatores paganos refutat, Christianamque veritatem extollit, quam postea in alio Opere = De Evangelica Demonstratione = cujus pars dicitur periisse, ex S. Literis ac praesertim propheticis exprimit. Duobus libris Marcellum Ancyranum Sabellii asseclam impugnat, eundemque opere altero = De Ecclesiastica Theologia = vehementer perstringit. Alia quoque a se exstare voluit. = Onomasticon urbium et locorum S. Scripturae, seu de locis hebraicis, a Hieronymo latine translatum, Expositiones nonnullas in S. Scripturam, vitas, Epistolas (332).

(332) De hujus Scriptoris orthodoxia non una est eruditorum sententia eum plerisque inter Arianos adscribentibus; Christianae tamen Religionis Apologetam fuisse ostendunt, tum de Evangelica Praeparatione lib. XV. tum de Evangelica demontratione libri XX. e quibus tantum XV. supersunt a Vigerio editi, una cum proëmio libri I.

§. XLVI.

S. Athanasius.

" Athanasium laudans virtutem laudabo, idem ,, enim est illum dicere quod virtutem laudibus ,, efferre, quoniam omnes virtutes collectas tene- ,, bat ,, Hoc tam insigni Gregorii Nazianzeni praeconio (*Orat. de S. Athan.*) libenter utimur, cum ea omnia, quae spectandis omni aevo Athanasii virtutibus tribui possent, paucis admodum verbis complectatur. Adjungimus quae historiae institutum postulat, hominem Alexandriae natum anno 296., liberalibus ac severioribus disciplinis ab ineunte adolescentia imbutum, Sacris deinde Literis egregie doctum, eum fuisse Alexandrinae Ecclesiae Diaconum, qui sapientia ac consilio eidem praesto adfuit, et post obitum Alexandri Episcopi (cujus adjutor extiterat amantissimus) cunctis exoptatus suffragiis Antistes datus sit. Sed neque ex hisce meritis

prioribus capitibus, et ultimi clausula, quae Jo. Alb. Fabricius primus eruit in op. cui titulus - Delectus Argumentorum et Syllabus Scriptorum, qui veritatem Religionis Christianae . . . adserunt. - Haec vero inter opera eminent X. libri Ecclesiasticae historiae quos adjectis ejusd. auctoris lib. IV. de vita Constantini, Oratione Constantini ad Sanctos, et Eusebii Panegyrico, emendavit, latine vertit, et adnotationibus illustravit Henr. Valesius, dum Ecclesiasticos Scriptores Parisiis edidit 1659, 1671. Valesii editionem praestantissimam reddidit Gulielmus Reading evulgando Eusebium, Socratem, Sozomenum, Theodoritum, Evagrium, Philostorgium, et Theodorum lectorem, Cantabrigiae, Typis Academicis 1720. tribus vol. in fol.

praecipua ejus exsurgit, ac singularis laus, quam sibi vindicant incredibile Christianae fidei tuendae studium, perpetuae cum Arianis concertationes, quos in Concilio Nicaeno ad incitas redegit, atque inde iterata miserrimi exsilii acerbitas, iterata depulsio, a Sede honoris sui, jacta in sanctissimum Confessorem crimina, regii animi in eum permoti; horum autem omnium unius viri in Deo inexpugnabilis, hostium expugnatoris, contemptrix et victrix Athanasii constantia. Robustum hunc, quem inter procellas tamen excoluerat, atque excelsum animum attulit ad scribendum, ita grandis ita incitatus ut obruere saepe saepius auctoritate, perfringere impetu videatur. Ex multis quae scripto tradidit, haec praecipue contra Arianos faciunt = Apologia contra Arianos = Arianorum historia = Epistola de Decretis Synodi Nicaenae = De Sententia Dionysii Episcopi Alexandrini = Epistola Evangelica ad Episcopos Aegyptios = Epistola ad Serapionem = aliaque multa quae in praesentia recensere non vacat. Contra Apollinaristas consuli debent libri duo de Incarnatione Christi, et Epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum = Quid de Symbolo vulgatissimo, cui inest Athanasii nomen, sentiendum sit, variae chriticorum disceptationes Ecclesiasticae historiae studiosum edoceant (333).

(333) Optimam S. Athanasii editionem evulgavit Bern. de Montfaucon Monach. S. Mauri, Parisiis 1698. quae iterum prodiit uno aucto volumine e Typographia Seminarii Patavini 1777.

§. XLVII.

S. Cyrillus Hierosolymitanus.

—

Praeclara Sedis dignitas, praeclara rerum gestarum gloria Cyrillum in omnium memoriam commendarunt. Pervetustae Hierosolymorum Ecclesiae addictus, Catecheticos ibi sermones habuit, in quibus universam Ecclesiae doctrinam complexus, dogmata declaravit, difficultates solvit, et Gentiles, Judaeos, haereticos praesertim Manichaeos strenue aggressus est: inde Operis praestantia, inde etiam antiquitas, cum in hujusmodi labore progymnastes aliorum Patrum extiterit. Eidem Ecclesiae datus equidem Moderator, non tamen servatus incolumis, quippe qui ob litem quandam cum Acacio Caesareensi de juribus Caesareensis Ecclesiae, varia aerumnosaque fortuna conflictatus, sede iterum atque iterum expulsus fuerit. Verum quidquid ab hisce aliisque calumniatoribus obscuraretur, in suam protulit lucem auctoritas Constantinopolitanae Synodi, quae ejus fidem praeterea, et Ordinationem ab impactis insimulationibus vindicavit; nec quidquam ad illius famam praestantius esse poterat, Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis. Dogmatum propugnator acerrimus a Theodoreto (*Lib.* 2. *hist. Eccl. c.* 26.); Sacratissimus, orthodoxaeque Fidei defensor a Teophane (*Chronogr. pag.* 58.); vir singulari ad plebem docendam facultate praeditus a

Nicephoro (*Hist. Eccl. l.* 9. *c.* 46.) appellatus, cumulatissima denique in utriusque Ecclesiae consensione praeconia sortitus est. Anno 386. vitam absolvens monumenta reliquit ingenii doctrinaeque suae, Catecheses XVIII. sive Conciones ad fidelium eruditionem apprime aptas, quas superius memoravimus; Catecheses Mystagogicas, quae Sacramentorum doctrinam potissimum respiciunt; Epistolam ad Constantinum Magnum de signo lucidae Crucis Hierosolymis viso (334).

§. XLVIII.

S. Epiphanius.

—

Eleutheropoli Palaestinae oppido oriundus, cum adolescens in Ægyptum sese contulisset, ibi tanto erga asceticam disciplinam amore est captus, ut eam amplexus miros statim progressus fecerit Hilarioni inhaerens, et Monasterii cujusdam Fundator. Eandem instituti rationem non detrectavit Episcopus creatus Constantiae seu Salaminis, immo etiam pro viribus promovere non destitit. Anno 403. debitum naturae reddidit posteaquam cum nonnullis Ecclesiae Patribus contentiones acres fortasse nimium de Origeniana causa exercuisset. Non morum solummodo castimonia et austeritas, sed literarum

(334) Opera Cyrilli Hierosolymitani Parisiis edidit Dionysius Petavius, qua tamen editione praestantiorem habemus ab Aug. Touttée Mon. S. Mauri Parisiis 1720.

cultus, rerumque sacrarum facultas in eo laudantur, qui praeterea ab intima quinque linguarum peritia ellogia plurima est consecutus. Opera ejus extant *Panarium* sive arcula adversus haereses; cujus summam exhibet in alio opere, quod *Ancoratum* inscripsit; liber de ponderibus et mensuris quae in S. Scriptura occurrunt; Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, a Hieronymo, uti existimatur, latine reddita, et quae in Origeniana placita animadvertit. Liber qui de vita Institutoris sui Hilarionis eidem tribuitur, desideratur (335).

§. XLIX.

S. Ephrem.

—

Syrus Nisibi in vitam ingressus, genere nobilissimus, et Edessenae Ecclesiae Diaconus, arctissimam vivendi rationem ab ineunte adolescentia suscepit, philosophiam simul, oratoriam, ac literariam omnem facultatem adeo calluit, ut multis Graecorum Scriptoribus praestans, Orbisque magister appellaretur, ejusque scripta post lectas in Ecclesiis scripturas palam recitari meruerint. Tanto ardore solitudinem, sapientiae virtutisque conciliatricem adamavit, ut oblatum Episcopalium Infula-

(335) Inter Epiphanii opera celeberrimum est quod adversus Haereses inscribitur. Ipsum cum caeteris hujus Scriptoris operibus, doctissimis animadversionibus illustravit Dion. Petavius, ediditque Parisiis 1622.

rum splendorem, eisdem posthabuerit, et delitescens effugerit. Fato sublatus anno 378. celebrata apud omnes scripta reliquit; Commentarios in S. Scripturam, Refutationes Eunomianorum, Orationem de vita Basilii Magni, Opusculum de humanae libertatis voluntate, homilias plures, precatorias quoque formulas in usum Chaldaeorum, et Maronitarum susceptas (336).

§. L.

S. Basilius M.

Basilius re ac nomine Magnus honestissimo loco in Cappadocia natus an. 329. Philosophiae, et Eloquentiae, ad quam a natura comparatus fuerat, se totum tradidit, sociumque studiorum pergratissimum Greg. Nazianzenum sibi adscivit. Regionibus plurimis studiorum causa obitis, locupletem, supra quam credibile est, omnimodae eruditionis supellectilem est adeptus, quam ex ejus scriptis petimus, quam Patres, et Concilia Oecumenica certatim summis laudibus extollunt. Neque solam doctrinae soliditatem in Basilio, sed orationis

(336) Admirabilis hujus viri opera Vaticanis typis excusa fuere Romae 1732-1743 cura et studio P. Petri Benedicti, Stephani Evodii Assemani, et Josephi Assemani, qui tribus prioribus voluminibus collegerunt quidquid antiquus interpres e Syro in Graecum vertit atque hodie superest, tribus vero posterioribus voluminibus plura Sancti Diaconi opera syriaca ediderunt, tunc primum e Vaticana Bibliotheca evulgata.

elegantiam, suavitatem, perspicuitatem, et vim suadendi omnino incredibilem deprehendes. Neque hominem studiorum tantummodo exercitationibus abditum, sed et monastica solitudine diutius insepultum, perdura in palaestra versatum, Monastici instituti sectatorem, promotoremque impensissimum miraberis. Quem profecto secessum minime reliquisset, nisi a Caesareensi Episcopo laborum socius expetitus, Presbyter factus, ejusque denique in officio successor salutatus fuisset. Id muneris exercuit usque ad vitae exitum, qui attigit exordia anni 379. Percelebres extant illius Homiliae in Opificium sex dierum, et in Psalmos; Tractatus contra Eunomaeos, Sabellianos, et Arianos, aliique philosophici argumenti; Sermones Ascetici, constitutiones Monasticae, et Epistolae, in quibus multa in regularem disciplinam egregie praescripta accipies (337).

§. LI.

S. Gregorius Nyssenus.

—

Basilio consanguineus, sanctimonia doctrina-

(337) Basilii opera recensuit Hieronymus in Catalog. Script. Eccl. c.116., inter quae librum de Spiritu S., cujus posteriorem partem Erasmus Sancto Doctori abjudicavit. Liturgiam autem, quam Renaudotius edidit, Rivetus autem levibus de caussis genuinum ipsius foetum non esse contendit. Ab ejus evulgandis Orationibus Frobenius suam auspicatus est Patrum Graecorum editionem; omnia tandem illius opera diligentissime ac splendidissime edita sunt, ab Juliano Garnierio Mon. S. Mauri 1721-1730.

que propinquus, eundem in Rhetorice, philosophia, sacra eruditione, ac regularis disciplinae studio secutus nulla in re, quae Fidem respiceret, ut inquit Bellarminus, vel minimum dissentientem nactus est, ipse etiam honoris similitudine spectandus, quippe qui e latebris monasticae obscuritatis in splendorem Nysseni Pontificatus evocaretur. Quem vero splendorem, quia in Arianorum ac Valentis Augusti offensionem ob fidei integritatem et constantiam inciderat, cum aerumnosissimi exsilii squallore commutavit. In sedem restitutus, pastorale omne officium usque ad extremum diem, quem non satis exploratum habemus, explevit. Quae vitam ejus exornant, inclyta in rem Christianam studia, ac gesta, tot et tanta sunt, ut (quod asserit Greg. Nazianzenus in oratione ad eum habita) historiae instar esse possint. Et qui Basilio fratri in studiorum ac morum ratione similis evaserat, id quoque in scriptorum genere praestat. Dedit enim Librum = de hominis opificio, Tractatus contra Eunomium, Apollinarem, et Fatalistas, Dialogos da Anima, de Resurrectione, et Deitate Verbi ac Spiritus Sancti; moralia denique non pauca et regularibus institutis perquam proficua: copia in hisce omnibus, facundia ac sermonis cultu praestantissimus (338).

(338) Satis accuratam editionem operum hujus S. Patris dedit Frid. Morellius Parisiis 1615. duob. volum., quibus tamen addendum est alterum cui titulus - Appendix ad S. Gregorii Ep. Nysseni ope-

§. LII.

Gregorius Nazianzenus.

—

Hic ob singularem rerum divinarum scientiam *Theologi* nomen adeptus in obscuro Cappadociae oppidulo natales habuit; et cum ingenium ad doctrinas omnes comparatum a natura sortitus esset, illud Athenis, florentissimo literarum domicilio, aliquandiu acriterque exercuit, eloquentiae praesertim studens, et Basilio conjunctissimus. Quae non doctrinarum solummodo, sed et severioris virtutis conjunctio, minime interrupta est, cum Gregorius postea solitudinis desiderio flagrans in Pontum se contulerit ad Basilium, qui caenobiticae castimoniae ibi magister habebatur, atque ibi quod a susceptis exercitationibus otii supererat, id totum Scripturis pervolvendis, et in proprium succum ac sanguinem, ut ajunt, convertendis, mutuo labore mutuis subsidiis impenderit. Bis a pergrata sibi solitudine avulsus, et Presbyter reluctans ordinatus, bis ad eam revertitur, Sasimorum Antistes electus a dignitate se excusat, et in regimine Nazianzenae Ecclesiae (inde cognomen tum Nazianzeni) Patri praesto adest: anno 379. a Catholicis Con-

ra non ita pridem vulgata ex editione et partim ex interpretatione Jac. Gretseri Paris. 1618. Hisce tandem addi possunt VII. ejusdem Doctoris Epistolae, quas ex Mediceo Codice vulgavit Florentiae 1731. Joan. Bapt. Caracciolus Cler. Reg.

stantinopolim accitus, ut periclitanti Fidei opem doctrinae ac constantiae afferret, Arianos, Novatianos et Apollinaristas oppugnat, et Constantinopolitanae Ecclesiae Antistes impertitus, pastorali officio pristinam recogitans solitudinem se abdicat. Quod vitae reliquum fuit pietati, doctisque elocubrationibus tribuit, defunctus vero anno circit. 339. Quae plurima ad rei Catholicae defensionem et incrementum conscripsit, ingenti eruditione, ac praeclara eloquentiae fama celebrantur; sunt porro Orationes polemicae, ac Theologicae, Epistolae, et Carmina (339).

§. LIII.

Amphilochius, Dydimus Alexandrinus Macarius senior, et junior.

Amphilochius natione Cappadox Iconii Lycaoniae metropolis episcopus, et Basilio in primis charissimus, qui eidem *de Spiritu Sancto* librum aliaque opera inscripsit, animi fortitudine admirabilis Messalianos damnavit. Auctor Theodosio M., ut Arianorum conventus vetarentur (340). Dy-

(339) Praestantissima operum hujus S. Episcopi editio instruebatur a Monachis S. Mauri, jamque primum volumen Parisiis 1778. lucem aspexerat, cum notae ac turbulentissimae Galliae vicissitudines, hunc insignem D. Benedicti Ordinem optime de Religione, de scientiis, artibus, ac ipsa Gallia promeritum evertentes, alterius jam parati voluminis editionem prohibuerunt.

(140) Amphilochii opera edita sunt a Fran. Combefisio Parisis 1644. una cum operibus S. Methodii, et Andreae Cretensis.

dimus Alexandrinus licet a teneris unguiculis oculorum obtutum amisisset, tamen aevi sui portentum prodit, et in omni literarum genere adeo excelluit, ut non solum Dialecticam, Geometriam, aliasque disciplinas apprime calleret, sed etiam publice hisce de rebus in Alexandrinorum gymnasio omnium plausu disputaret. Scripsit de Spiritu Sancto, de Trinitate, et contra Manichaeos (341). — Macarius senior gente Ægyptius, cognomine *Magnus*, auctor profertur quinquaginta homiliarum, septem opusculor. asceticor. et apophtegmatum nonnullorum (342). Ab alio Macario juniore, *Politico* appellato, probe secernendus. Domo Alexandria monachus primum, Presbyter tandem, et Nitriensis Archimandrita. Sub ejus nomine circumferuntur *sermo de excessu justorum*, *regula monastica*, et *epistola ad Monachos* (343).

(341) Praeter librum adversus Manichaeos, qui extat in Auctario Combefisii, Tractatum de Spiritu S. et Enarrationes in Epistolas Canonicas, quae in Patrum Bibliothecis continentur, supersunt Tres libri de Trinitate, quos huic Didymo Alexandrino adjudicavit Jo. Alois. Mingarellius Canon. Regul. dum primum eos edidit ex Passionejano codice, latine convertit, ac notis illustravit, Bononiae 1769.

(342) Macarii Senioris Homilias e graeco in latinum conversas Joannes Picus Parisiensis Senator edidit separatim Parisiis anno 1559. et deinde 1623. cum Gregorii Thaumaturgi et Basilii Seleuciensis operibus.

(343) Macario Juniori Alexandrino tribuitur Regula 30 capitibus comprehensa, quam Senioris opus esse putavit Miraeus. Illam ex cod. Beccensi edidit Petr. Roverius.

§. LIV.

Jo. Chrysostomus.

—

Eloquium aurifluum Chrysostomi nomen fecit, qui anno circiter 347. Antiochiae e nobilibus parentibus in lucem editus, et optimis institutis excultus est. Adolescens ea dedit ingenii, facundiae, ad quam a natura rapiebatur, et praecocis doctrinae specimina, quae hominem Ecclesiae divinitus datum omnibus facile suaserunt. Ipso oratoriae artis aestu abductus forum aliquandiu sectatus est donec meliori mente ad Christianam dumtaxat disciplinam, et ad severiora instituta se se convertit, eoque est progressus, ut in durissimis Monachorum laboribus, annos equidem quatuor, et biennium in spelunca inclusus transegerit. Diaconus Virginitatem data opera commendat; Presbyter eam in Concionando famam excitat, quae Orientem totum impleret, cum neque uberior Scripturarum declaratio, neque contra haereticos ictus vehementiores, neque in Sanctorum laudibus major amplitudo, ac majestas alibi reperiri posse viderentur. Ad Constantinopolitanam Sedem post obitum Nectarii evectus concionandi munus non dimittit, cum parato vel imparato argumenta omnia semper prona essent ad persuadendum aptissima. Hisce usus ad retundendos perversos Clericorum et aulicorum mores tot simultatibus, tot criminibus, atque odiis objici-

tur, ut nulli injuriarum generi ad eum prosternendum parceretur. Ipsa Arcadii Imperatoris auctoritate in eum concitata, ab honoris Sede in exsilium propellitur: et motu percupientis populi sui revocatus, ob novas molitiones et fraudes novis exsilii calamitatibus affligitur, quibus obrutus non victus ad superna praemia transfertur an. 407., honoris testimonium, quo vivens caruerat, post mortem cumulate assecutus, cum pulsi olim Pastoris Sanctissimi reliquiae, Theodosio II. jubente, sollemniter in Constantinopolitanam Sedem translatae sint. In ejus Scriptis plus habeas nativi candoris, quam quaesiti artificii, profluentem verborum copiam concinnitatis ac leporis plenam, melleam suavitatem, perspicuitatem vero omnino singularem, nisi vero troporum frequentiam, ac similitudinum redundantiam (quod illius aevo vertendum putem) interdum fastidias. Commentarios perlegimus in Vetus ac Novum Testamentum, homilias permultas, Libros De Providentia, De Liberis Educandis, de Vita Monastica, et de Sacerdotio (344).

(344) Eloquentissimo Doctori dignissimam editionem operum comparavit Bern. de Montfaucon Mon. S. Mauri Parisiis 1718.-38. qui, praeter Stiltinghum in Act. Bolland. ad diem 14. Sept. aliosque, eruditissime vitam et persecutiones sanctissimi viri enarravit. Variae operum lectiones editae sunt Lipsiae an. 1807. studio Ch. F. Matthaei.

§. LV.

Petrus et Cyrillus Alexandrini.
Isidorus Peleusiota.

—

Petrus Alexandrinae Ecclesiae summa cum laude praefuit, ut testatur Eusebius H. E. lib. IX. c. VI. Jubente Maximino martyr occubuit, ob sanctitatem, et scientiam, et ob peritiam Sacrarum Scripturarum jure ac merito ab Eusebio laudatur. Auctor est praesertim epistolae canonicae seu canonum XV. de poenitentia (345). — Cyrillus Theophili Alexandrini ex fratre nepos, eo defuncto an. 412, Alexandrinam cathedram ascendit, famam sibi conciliavit ob Nestorianas gliscentes lites. Fatis cessit an. 444. Vir pietate, eruditione, pro Fide catholica tuenda invicto zelo nobilissimus. Plura scripsit, in quibus desideratur quidem veterum graecorum elegantia, abundat vero ingenii acumen, argumentorum robur, et in hostibus revincendis praestantia (346). — Isidorus ut plurimis placet, Alexandriae ortus est, *Peleusiota* dictus, quia juxta

(345) Tempore Diocletianeae persecutionis scripserat S. Episcopus librum de Poenitentia, ex quo supersunt Canones XV. atque insuper de Paschate, cujus modo fragmenta tantum extant. De ipsius operib. vid. T. I. Labbei Concil. p. 974., T. 2. Beveregii p. 8. et Tom. IV. Bibl. Gallandii p. 89. 108. et seqq.

(346) Ejus opera edita sunt Parisiis 1633. et 1638. a Joanne Auberto. Libri contra Julianum extant in operibus Juliani editis Lipsiae an. 1696.

Pelusium, Monachum egit, angelicis moribus saeculi pravitatem vellicans, et Chrysostomi nomen sanctitatem, et scripta nullo non tempore intuens. Ejus epistolae elegantiam, sacramque eruditionem, suppeditant (347).

§. LVI.

Theodoritus.

Theodoritus Cyri Episcopus in Syria, Monasticam vitam coluit ad Episcopatum usque, quem suscepit an. 420. in Marcionitis profligandis excelluit, summoque studio contendit, ne Phaenicum Ecclesiae haereticorum insidiis impetitae a Catholica fide deficerent. Hisce rebus intentum virtutisque fama florentem graves fluctus exagitarunt. Primum quidem multorum subiens indignationem, quod Joanne Antiochaeno et S. Cyrillo Alexandrino inter se dissidentibus, illo hortante, adversus duodecim ejusdem Cyrilli anathematismos calamum strinxisset; deinde in latrocinali Synodo Ephesina absens et inauditus Episcopatu expoliatus est, atque pravis impii Dioscori artibus in exilium ejectus. Utriusque tamen calamitatis exitus eum innoxium probavit; dissidium enim cum Cyrillo non dogmatum sed animorum extitisse agnitum est. Pontifex ad

(347) Libri V. de interpretatione divinae Scripturae graec. lat. cum interpretatione et notis Jacobi Billii, Conradi Rittershusii, et Andreae Schotti, editi sunt Parisiis an. 1638., ext. etiam T. VII. Bibl. PP. Lugd. p. 533. Epistolae edit. Romae 1670.

quem provocaverat eum absolvit, ac sedi suae restitutum mox Synodus Chalcedonensis tamquam Nestorianis placitis adversantem, ac sincere orthodoxum suo caetui adjunxit. In pace Ecclesiae obiit an. 458. Plurium librorum auctor egregius, tum de sacra Scriptura, et contra haereses, tum de Ecclesiastica historia, quam, Eusebium Caesariensem imitatus multa cum ingenii laude conscripsit (348).

§. LVII.

Eulogius, Joannes Jejunator.

Divo Gregorio M. coaevus atque amicitia conjunctissimus extitit S. Eulogius, qui Alexandriae Patriarchatum obtinuit per annos circiter 27. usque ad annum Christi 604, quique plures Libros composuit in Novatianos aliosque haereticos, atque in Epistolae S. Leonis ad Flavianum et Synodi Chalcedonensis defensionem. Quorum operum excerpta apud Photium habentur (349). —Joannes, cui Jejunatoris cognomentum a singulari abstinentia indi-

(348) Libri V. Hist. Eccl. ext. T. III. Script. H. E. edit. Cantabrig. an. 1720. Extat editio Parisiensis Heur. Valesii an. 1673. et Basileensis 1535.

(349) Sermo in diem festum Palmarum graeco-lat. interprete Combefisio ext. T. I. Auct. Bibl. ejusdem p. 651. et T. XII. Bibl. PP. Galland., pag. 300. et T. XII. Bibl. PP. Lugd. p. 48. Capita VII. de duabus naturis Salvatoris D. N. J. C. graec. lat. interprete Combefisio ext. T. II. opp. S. Maximi pag. 145. edit. Parisiensis 1675. et T. XII. Bibl. PP. Galland. p. 310.

tum fuit, Constantinopolitanae praefuit Ecclesiae ab anno 585. ad an. 596. quo defunctus est, Romanis Pontificibus Pelagio II. et S. Gregorio M. infensissimus ob Oecumenici titulum, quem sibi arroganter praesumpserat; locum vero inter Scriptores adeptus, nonnullis editis Homiliis de Poenitentia, Continentia, et Virginitate (350).

§. LVIII.

Anastasius Sinaita, Sophronius, et Maximus Abbas.

Justiniani aetate floruit Anastasius a Monte Sinai, quem incolebat, Sinaita dictus, dein Antiochiae Episcopus, Justino Juniore imperante an. 572. in exilium actus, episcopalem dignitatem Gregorio cessit, quo defuncto recuperavit, imperium gerente Mauricio. Huic Anastasio, non alteri Synaitae pariter dicto, qui Martyr occubuit, opuscula tribuuntur quae Patrum Bibliothecae exhibent (351). — Honorii

(350) Oratio de continentia, poenitentia, et Virginitate graece ext. inter opera S. Jo. Chrysostomi edit. Savilii pag. 641. T. VII. edit. Etonae an. 1612. Libellus Poenitentialis sive ordo erga eos, qui peccata confitentur observandus graec. lat. ext. ap. Morinum in Append. ad librum de Poenitentia p. 75. Pariis an. 1651. Tractatus sive sermo de Confessione et poenitentia graec. lat. ext. ap. Morinum cit. p. 91. Excerpta varia antiquorum ex libello poenitentiali ejusdem ext. p. 98.

(351) *Dux viae adv. Achephalos* graec. lat. edit. Ingolstadii an. 1606. ubi plura extant Theodori Abucara S. Joannis Damasceni discipuli. Quaestiones et Responsiones de variis argumentis editae

Papae I. et Heraclii Imperatoris aevo vixit S. Sophronius patria Damascenus, ac Hierosolimitanus Episcopus, qui Catholicam fidem strenue adversus Monothelitarum haeresim propugnavit, defunctus an. 636. Ipsius extat Epistola ad Sergium Episcopum CP. in VI. Synodo, ac duo sermones, alter de natali Domini, alter de Angelis (352). – Haud mediocrem Scriptoris famam promeritus est S. Maximus, quem alii Monachum sive Abbatem, Martyrem alii sive Confessorem appellant. Inter ejus plurima Scripta eminent praesertim insignis disputatio habita in Africa contra Pyrrhum Monothelitam, Liber de Ecclesiastica Mystagogia, atque Centuriae da Charitate, et de Incarnatione Verbi. Obiit vero Vitaliano R. P. et Constante Imperatore an. 660. (353).

§. LIX.

S. Joannes Damascenus et Tarasius.

Dum Venerabilis Beda sapientiae suae fulgore totum occidentem illustrabat, universam Orien-

sunt a Gretsero Ingolstadii an. 1617. ibid. extant tres S. Gregorii Nysseni orationes, et novem homiliae Leonis Imp. Contemplationes in HEXAEMERON liber. XII. ab Andrea Dacerio gr. lat. Londini edit. 1682.

(352) Vidd. T. IV. pag. 1290. et VII. Concil. Labbei pag. 883. Liber III. Biblioth. Caesareae Lambecii p. 139. Vindobonae 1776. Tomus V. Bibl. PP. Lugd. p. 1123. Tomus I. Februarii Bolland. p. 274., et Surius die IX. Aprilis pag. 662. Coloniae Agrippinae 1578.

(353) Opera omnia collegit ediditque grec. lat. cum interpretatione et notis Franciscus Combefisius, Parisiis 1675.

tem implebat sanctitatis non minus, quam doctrinae fama S. Joannes Damascenus, qui eruditissimis atque Catholica fide refertis libris Iconoclastas haereticos, ac praesertim ex his Leonem Isaurum, ejusque filium Constantinum Copronymum vehementer insectabatur. Dum vero impias haereticorum sententias S. Scripturae, Ecclesiae, ac Patrum auctoritate funditus convellebat, Catholicorum dogmata proprio marte omnium primus in quendam ordinem digerebat, praeclarissimo edito opere, cui titulus de fide Orthodoxa. Quod universae Theologiae systema imitati deinde sunt recentiores illi Doctores, quos scholasticos appellamus. Sanctissimus vir plura ob Catholicae fidei defensionem perpessus ab Imperatore Constantino Copronymo, vita functus est an. 731. (354). Tarasius antea ab Imperatoris secretis, deinde CP. Ecclesiae praesul, ex iis fuit, qui nullis parcens laboribus, nullis periculis territus adversus Iconomachos decertarunt. Inter ejus praeclara pro Catholica fide gesta merito recensetur, quod plurimum juverit Secundae Nicenae synodi convocationem in cujus actis extant hujus nobilissimi Praesulis Epistolae, et Apologeticus (355).

(354) Michael Le Quien ejus opera edidit graec. lat. Parisiis 1712. Plura edidit Combefisius, Cotelerius et Gallandius.

(355) Vidd. acta Concilii Nicaeni II. Cf. Le Quien in opere *Oriens Christianus* T. I. col. 239. Parisiis 1740. Ecclesiam Graecam hac periodo illustrarunt etiam Antonius Aegyptius Monachus, Pachomius, Jacobus Nisibenus, Marcellus Ancyranus, Meletius Antiochenus,

Alexander Alexandrinorum Pontifex, Eustathius, Apollinaris senior, Evagrius, Nemesius Emesenus, quorum opera invenies apud Gallandium in Bibl. PP. Quibus addendi sunt Synesius Pentapolitanus cujus opera edidit Petavius Parisiis 1612., Palladius Episcopus Helenopolitanus, Procopii duo, Gazaeus alter, alter Caesareensis, Agapetus Diaconus, Zacharias episcopus Mitylenes, Theodorus Scythopolitanus, Cosmas Indicopleustes, Barsanuphius, Gregentius episcopus Taphar-nensis, Isaacus Syrus episcopus Ninives, Gregorius Antiochenus, Dorotheus Archimandrita, Leontius Byzantinus, Joannes Moschus monachus, Joannes Philoponus, Alex., Theodorus Raythuensis, Joannes Matala, Hesychius Patriacha CP., Antiochus monachus S. Sabae in Palaestina, Olympiodorus diaconus, a quo habemus chronicon Alexandrinum seu Paschale editum a Carolo Dufresnio Parisiis 1688. Germanus Patriarcha CP., Georgius monachus, Theophanes Georgius aliique. Cff. Gallandius, Bollandiani, Combefisius, Jo. Alb. Fabricius, Ceillerius, Caveus, et Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis nec non Arvood in op. inscripto *Biblioteca Portatile degli Autori Classici sacri, profani, greci, e latini Venezia* 1793.

FINIS
TOMI II.

NIHIL OBSTAT

Fr. Joannes Ferrini Proc. Gen. Ord. Min. Conv.
Censor Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed.
S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

A. Piatti Patriarcha Antiochenus
Vicesg.

INDEX

PERIODUS ALTERA

A CONSTANTINO M. AD CAROLUM M.

PARS EXTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS PROPAGATIONE.

CAPUT SECUNDUM

DE PERSECUTIONIBUS.

PARS INTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE REGIMINE ECCLESIÆ ET ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAPUT SECUNDUM

DE ROMANIS PONTIFICIBUS.

CAPUT TERTIUM

DE CONCILIIS.

CAPUT QUARTUM

DE DOCTRINA ECCLESIÆ.

CAPUT QUINTUM

DE *Ritibus Ecclesiæ*, *Christianorum moribus* ET DE *Ecclesiastica Disciplina*.

CAPUT SEXTUM

DE *Hæresibus*.

CAPUT SEPTIMUM

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.